29,066/B

J XXXIII
18/h

CONRADI PHILIPPI HOFFMANNI

D. J. IN ACAD. REGIOM. PRVSS.

SCHEDIASMA LITTERARIVM
DE
INSIGNIORIBVS PVERPERII TEMPORIBVS.

SIVE,

Von

Sechs=Wöcherinnen.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Verwijderd K. B.

REGIOMONTI & LIPSIÆ,

SVMTV JOH. PHILIPPI HAASII.

M DCC XXIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Conſpectus Capitum
Tractationis hujus.

Cap. I. *De Temporibus ante Puerperium.*
Cap. II. *De Temporibus ipſius Puerperii.*
Cap. III. *De Temporibus poſt Puerperium.*

SCHEDIASMA LITTERARIVM DE INSIGNIORIBVS PVERPERII TEMPORIBVS.

INGRESSVS.

TEmpora Puerperii inſigniora hic cum explicare nobis animus eſt, melioris diſtinctionis ergo juvabit ea in tria diſpeſcere capita, quorum primum exhibebit: *Tempora ante Puerperium*; ſecundum: *Tempora ipſius Puerperii*; tertium: *Tempora poſt Puerperium.* F. D. F.

CAPVT I.

De Temporibus ante Puerperium.

SVMMARIA.

§. I. *Puerperæ & Puerperii definitio & derivatio.* II. *Uxor quo tempore capax ſit ad geſtandum uterum, remiſſive.* III. *Conceptio quo tempore fiat.* IV. V. *Fœtus quo tempore pro animato habeatur.* VI. *Fœtus in utero exiſtens num quoad commoda jure jam natorum gaudeat.* VII. *Partus quando dicatur illico deceſſiſſe in l. 3. C. de Poſth. her. inſt.* VIII. *Gravida num incarcerari poſſit.* IX. *num jurare aut teſtimonium dicere teneatur.* X. *num relegari queat.* XI. *Num pœna corporis afflictiva affici poſſit.* XII. XIII. *Num torqueri aut terreri queat.* XIV. XV. *num ad Mortem condemnata, dilatione ultimi ſupplicii gaudeat.* XVI. *Prægnans mortua, num nondum exciſo partu, humari poſſit.* XVII. *Gravida num ad Jejunia adſtricta, item, ad Pœnitentiam Abſtinentiæ, item, ad non uſum Euchariſtiæ tempore Interdicti.* XVIII. *Maritus num ab Uxore tempore partui vicino debitum conjugale exigere poſſit.*

§. I.

PUerpera dicitur illa, quæ ſive puerum, ſive puellam, enixa eſt. *Pueri* enim *appellatione etiam puella ſignificatur. Nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu: & græce,* παιδίον *communiter appellatur*, ita ſentiente ICto PAVLO *in l. 163. D. de V. S.* Idem confirmat PRISCIANVS ſcribens: *Pueri fœmininum, pueram antiquiſſimi dicebant: unde & puerpera, quæ puerum vel pueram parit.* Et SVETONIVS *in Caligula cap. 8. ibi: Nec Plinii opinionem Inſcriptio aræ quidquam adjuverit, cum Agrippina bis in ea Regione filias enixa ſit, & qualiſcunque partus, ſine ullo Sexus diſcrimine, puerperium vocetur: quod antiqui etiam Puellas pueras, ſicut & pueros puellos dictitarent.* Licet regulariter puer pro maſculo capiatur, & puellæ opponatur, vid. *l. 204. D. de V. S.* Puerperium

vero

vero dicitur purgatio, quæ mulieribus a Partu procedit, licet A. GELLIVS *L. 10. Noct. Att. c. 2.* puerperium pro ipſo Fœtu acceperit, quod tamen male factum vult ZACCHIAS *in Quæſt. Med. Legal. L. 1. T. 4. Qu. 4. n. 53.* quamvis in latiſſimo Senſu nomine Puerperii & ipſe Partus intelligi poſſit, modo bene Puerperii tempora diſtinguantur. In qua latiſſima ſignificatione & hic vox Puerperii accepta eſt, ut pote qua tum ipſum partum, tum ipſam puerperam indigitare voluimus. Appellata vero eſt puerperæ & puerperii vox, ex puer & pario, ita ut puerpera ſit, quæ puerum, i. e. ſive maſculum, ſive fœminam peperit.

§. II. Hiſce præmiſſis ad ipſam materiam propoſitam nos accingimus, & quidem primo ad ipſius Conceptionis tempora, ubi mox Quæſtio decidenda eſſet: *Quo nimirum tempore Uxor capax deprehendatur, ut uterum geſtare poſſit?* Sed cum jam plenius in Tractatione: *de ætate juvenili ad contrahendum matrimonium idonea*, item, in Tractatu: *de Matrimonio ſexagenarii cum Quinquagenaria.* &c. de hac materia egimus; hinc jam non vacat fuſe ibi prolata repetere, ſed remittimus potius L. B. ad citt. Tract. ex quibus pleniſſime cognoſci poterit, quodnam ſit tempus uterum geſtandi communiſſimum.

§ III. Progredimur itaque ad ipſa Conceptionis tempora, inquirendo; *quo nimirum tempore Conceptio fiat, & quando fœtus dicatur animatus?* Quod primum membrum attinet, *quo* nimirum *tempore conceptio fiat?* ignorant illud omnes etiam periti, ita ut dies & hora Conceptionis & ipſasmet mulieres lateat, neque ipſis mulieribus credatur aſſerentibus, ſe eſſe, vel non eſſe gravidas, ac proinde nec mulieri parturienti credatur, quo menſe pariat, cum initium conceptionis ignoret. Nec ad rem hic quid faciunt Signa Graviditatis, ex quibus multi tempus conceptionis eruere conantur. Sunt enim ea fallacia, quæ & cautiſſimarum Obſtetricum manus & oculos fallunt, inpri-

mis cum res inter omnes peritos deciſa ſit, graviditatem ante 4. menſes difficillime cognoſci poſſe, poſt eos vero facilius; inde & ante 4. menſes a Conceptione vix in prægnantibus lac in mamillis colligitur. vid. ZACCHIAS *l. c. L. 1. T. 3. Qu. 1. n. 6. & L. 7. T. 3. Qu. 3. n. 17. & 24. & L. 9. T. 1. Qu. ult. n. 119.* Ex ſignis itaque prægnantia, dies vero Conceptionis nullatenus probari poteſt. P. MVLLERI *D. de Jure prægnantium. Jenæ. 1680. hab cap. 10.* ZACCH. *l. c. L. 1. T. 3. Qu. 1.*

§. IV. Conceptione vero ſuppoſita, *intra quodnam tempus fœtus pro animato habeatur*, quæſtionis eſt? Et Reſp. non unam hujus rei Phyſicorum & Medicorum eſſe opinionem, ſed diverſam. Alii enim Conceptum trium dierum ſpatio animatum fieri volunt; alii 7. diebus hominem perfici & anima donari affirmant; alii fœtum ante 40. dies informatum & inanimatum, poſtea vero animatum & vitalem credunt; alii diverſitatem inter maſculinum & fœmininum Sexum ſtatuentes, volunt, fœtum perfectum eſſe formatum, in maſculis diebus 30. in fœminis vero 42. vel juxta alios, maſculum 40. fœminam 60. 80. vel 90. die formari, ita ut hodiernorum peritorum ſententia ad minimum eo inclinet; fœtum maſculinum in utero citius, quam fœmininum animari. Vid. ZACCH. *d. l. L. 1. T. 2. Qu. 9. n. 20. ſeq.* BERLICH. *P. 4. Concl. 8. n. 13. ſequ.* Rationem hujus differentiæ *Ant. le* GRAND. *in curioſ. Rer. abdit. perſcrut. p. m. 170.* refert ſequentem: quod Mas in dextra parte matricis ex ſemine calidiori; fœmineus vero ex ſemine frigido, ſive minus calido in parte ſiniſtra matricis concipiatur, quæ comparative ad alteram frigida eſt. Sed relinquimus exactiorem Phyſicis conſiderationem, quibus, cum & mas & fœmina in principiis vitalibus conveniant, non ad palatum erit dicere, marem citius quam fœminam perfici.

§. V. Cum vero hæc Quæſtio non deſtituatur uſu in Foris circa Crimen abacti partus, dum in puniendo hoc crimine

tum

tum ab Imp. Carolo V. *in Ord. Crim. Art. 133.* tum Jure Saxonico. *Conſt. Elect. P. 4. Conſt. 4.* tum Jure Pruſſico, *Part. 3. Tit. 6. Art. 7.* tum Jure Canon. *c. 20. X. de Homicid. & c. 7. cauſ. 32. qu. 2.* item Jure Communi juxta *l. 8. D. ad L. Cornel. de Sicar.* diſtinguatur: An fœtus ſit inanimatus, ſeu non vitalis, quo caſu abigens extraordinarie punitur; an vero animatus, ſeu vitalis, quo caſu pœna eſt ultimum ſupplicium; inde non incongrue hic quæritur, *quando fœtus apud ICtos pro vitali habeatur, ut pœna ordinaria locum habere poſſit?* Et Reſp. ICtos hic in diverſas abire ſententias, juxta diverſas Phyſicorum opiniones. Poſt variorum tamen Dd. ſententias placuit Electori Sax. certum determinare tempus, ita ut quoad pœnam ordinariam infligendam partus non antea vitalis habeatur, quam poſt dimidium tempus, quo mulier uterum geſtavit, inde ſi ante dimidium uteri geſti tempus, mulier ſibi vim intulerit, arbitraria tantum pœna obtinebit. Vid. *Conſt. Novell. P. 4. C. 4. §. 1. verſ.* und ſolches noch unter der Helffte, nach der Empfängnüß geſchehen. Idem confirmatum legimus in cit. Jure Pruſſico noviſſimo, *l. c.* ubi inprimis §. 2. expreſſe id ſtatutum deprehendimus, *ibi:* Da aber die Frucht nicht gelebet, und ſolches NB. noch unter der Helffte, nach der Empfängnüß geſchehen &c. Idque ubivis receptum teſtatur D. STRYK *in Uſ. mod. D. tit. de Extraord. Crim.* non quaſi antea partus non eſſet vitalis, ſed quod de vitalitate nec ipſi matri antea ſatis conſtare poſſit.

§. VI. Cum vero Fœtus in utero Matris exiſtens de Jure Rom. pro homine nato habeatur, non quidem naturaliter, cum non ſit jam editus homo, & ſeparatim a perſona Matris exiſtens, ſed per fictionem aliquam poſitivam juris, qua illi, qui revera adhuc in utero ſunt, a lege extra eum, & pro jam natis habentur, partim ob favorem partus, propter ſpem naſcendi, partim ob favorem Reipubl. cui partus naſcitur; inde, cum partus certo ſperetur in lucem proditurus, commoda ipſi & Jura

ſpeicia-

ſpecialia, in tempus naſcendi reſervantur, id quod inprimis in materia tutelari, teſtamentaria & ſucceſſionis ſe exſerit, Conf. J. F. HERTLING. *de Ventre illiusque jure* §. *4. hab. Heidelberg. 1712.* Partus itaque ſi vivus natus, cumque ſpiritu editus fuerit, gaudet jure aliorum liberorum, jamjam natorum. Imo licet partus illico deceſſerit, attamen in materia præteriti poſthumi rumpit teſtamentum, modo integer & perfectus natus ſit, prout ſtatuere Impp. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS *in l. 2. C. de poſth. hered. inſtit.* quod noviſſ. Conſt. JVSTINIANI *in l. 3. C. eod.* comprobavit. Mortuus tamen editus pro Partu non habetur. Vid. plur. HAHN. *ad* WESENB. *tit. de Stat. Hom. n. 3.* ubi de eo caſum elegantem cum rationibus dubitandi atque decidendi refert.

§. VII. Sed quæritur: *quando Poſthumus in d. l. 3. dicatur* illico *deceſſiſſe?* Et Reſp. Quidam voce *illico* triduum, quidam octiduum, intelligi autumant, ſi ſcil. partus intra triduum, poſtquam natus eſt, vel intra octiduum, antequam ei nomen impoſitum fuerit in S. Baptismate, deceſſit. Quidam vero per vocem *illico* tempus momentaneum intelligunt, ita ut ſufficiat, partum uno temporis momento vixiſſe. Menoch. *de Arb. Jud. Quæſt. C. 491. n. 14. ſequ.* quod ultimum etiam menti JVSTIN. *in d. l. 3.* convenit, modo cum ſpiritu editus fuerit, vivusque ad orbem proceſſerit, licet vox nulla exaudita fuerit, & *illico*, poſtquam in terram cecidit, vel in manibus obſtetricis deceſſit. In more enim poſitum erat antiquis, ut infans recens natus, ſimul ac ſublatus erat, ab obſtetrice in terra ſtatueretur, ut rectus eſſe auſpicaretur, vel ad demonſtrandum, corpus humanum e terra eſſe fabricatum; licet ratio potiſſima hujus ceremoniæ ſequens fuerit; quod maritus, ſi patrem ſe hujus infantis profiteretur, illum a terra tolleret, ſin ſecus, illud non faceret, quo collimat JOBVS *c. 3. v. 12.* SAPIENT. *7. v. 3.* conf. interim plur. HILDEBRAND. *de*

Nata-

Natalitiis Veter. ſacr. & profan. cap. 9. in pr. Ex quibus jam intelligitur, per vocem *illicò* non triduum, aut octiduum, ſed temporis ſaltim momentum induci, ut partus editus *illicò* mortuus Juris ſuccedendi capax reddi poſſit, licet vocem non emiſerit, cum mutus naſci potuerit. Idque non ſolum de Jure Civ. ſed & Saxonico obtinere refert PHILIPPI *in Uſ. pr. J. L. 2. Ecl. 65. n. 9.* ubi objectionibus reſpondet, atque Reſponſum Scab. Lipſ. de 1614 M. Majo ſubjungit, quod & conſcripſit J. W. FORSTER *in Diſſ. inaug. Jenæ ſub præſ. P. Mülleri 1689. de inſtanti Mortis hora, hab. cap. 2. §. ult.* ita ut nec hodie rigor Juris Saxon. im Lehnrecht *art. 20.* obſervetur, ubi expreſſe vox infantis requiritur, ut vivus dici poſſit, ibi: Wann der Sohn nach des Vaters Tode lebet alſo lang, daß man ſeine Stimme hören mag, in den vier Wänden des Hauſes, ſo er beerbet mit ſeines Vaters Lehen. Jure tamen Pruſſico *P. 2. L. 5. T. 5. A. 1. §. 10.* & partus exſectus pro vitali habetur, jurisve ſuccedendi capax redditur, modo binis vicibus vagitus exauditus fuerit, *ibi:* Würde es ſich auch zutragen, daß ein Kindlein von ſeiner Mutter Leibe in Kindes-Nöthen geſchnitten, welches eine Frau auf ihren Schooß genommen, genothtaufft, und nebenſt andern etzlichen Weibern geſehen, daß es den Mund bewegt, zwier gegiſchet, und im dritten verſchieden; So iſt es für eine lebendige Frucht zu achten, und hat ſeiner Mutter Erb-Recht bekommen, und daſſelbe auf ſeinen nächſten Bluts-Verwandten gebracht von Rechtswegen.

§. VIII. Nec deſunt alia privilegia, quæ ex commiſeratione erga partum proveniunt, ex quibus præcipua hic retuliſſe ſufficiet. Sic quæritur: *Num gravida ob debitum vel delictum incarcerari poſſit?* Et Reſp. de Jure Civili, quod non, cum illud mulieribus ſingulare de non carcerando indulſerit privilegium. JUSTIN. enim in *Nov. 134. c. 9.* unde deſumta eſt, *Auth. ſed hodie. C. de off. div. Jud.* & *Auth. hodie. C. de Cuſt. reor.* ex-

preſſe prohibuit mulierem ob debita carceri includi, multo magis prægnantem, ſecus tamen ſe res habet in Criminalibus; ubi publica vindicandi ſcelera neceſſitas, quoad mulieres in genere, aliud ſuadet. Cum vero & de J. Civili ægroti carcerati relaxentur, ſi forte in carcerem conjecti ægrotare incipiant, certe multo magis prægnantibus id privilegium indulgendum erit, cum ægrorum privilegiis gaudeant. P. MULLER *in D. de Relaxatione Carceratorum Jen. 1680. hab. c. 2. th. 14.* inprimis ubi frigore carceratæ affliguntur, manicæque ferreæ, & ferrei compedes circumponuntur. *Jd. in d. de Jur. prægn. c. 4. th. 6.* de Jure Pruſſico tamen *P. 3. L. 6. T. 1. A. 8.* §. *1.* prægnantes incarceratæ non relaxantur, ſed ſaltim ibidem usque ad tempus puerperii mitius tractantur, ibi: Wann die gefangene Perſon kranck oder NB. ſchwanger, und die Zeit ihrer Niederkunfft herannahet, ſoll der Richter Sorge tragen, daß das Gefängnüß leidlicher gemacht, und dergleichen gefangene Perſohn, in einer Stube oder Cammer, bey dem Gefangen-Wärter, oder ſonſt an einen leidlichen Ort, worzu die Obrigkeit Anſtalt zu machen hat, verwahret, und die Zeit der Geneſung oder Niederkunfft allda abgewartet werde.

§. IX. Quæritur: *An partui propinquis Juramentum aut Teſtimonii dictio remitti qveat?* Et Reſp. quod non. Equidem Dd. quidam in eam inclinant ſententiam: prægnanti ob fœtum non poſſe imponi juramentum, inprimis purgatorium, cum Torturæ æquiparetur, & propterea tortura ſpiritualis dicatur, & quod mulier accedendo in judicium in diſcrimen aliquod incidere poſſit, juxta *l. 2.* §. *4. D. Si qv. caut. in jud. ſiſt. cauſ. non obtemp.* ita ut BRVNNEM. *ad l. 18. D. de St. H.* idem a Commiſſariis obſeruari fateatur. Fundamentis tamen hanc opinionem deſtitui, recte aſſerunt MEVIVS *P. 5. Dec. 81.* & *Stryk. ad tit. D. Si qv. Caut. &c.* §. *8.* cum hoc caſu aut gravida, aut ejus fœtus nullum ſubeat periculum, præſertim ſi de re ad ſe non

perti-

pertinente, jurato teſtimonium ferre teneatur. Recte tamen cit. MEVIUS & STRYKIUS, & cum iis alii monent, gravidæ ſcil. qualitatem attendendam eſſe, an domi examinanda ſit, an vero examen differendum. Si prius, judex notarium ad ejus domum mittere tenetur, ut juret atque deponat. Si poſterius, examen exacto puerperio inſtituendum. Nullatenus tamen examen vel domi peragendum, vel differendum, ſi grauida adhuc longe diſtet a ſtatu enitendi, vel ea ſit perſona ruſtica & valens, ut eo tempore onera portare poſſit, vel ſit ea meretrix, aut alia perſona vilis. WILDVOGEL. *in D. de jure Embryonum c. 4. th. 17. hab. Jen. 1693.* MULLER *de jur. prægn. c. 4. th. 19.* Idem ſtatuendum eſſe credimus de jure Prusſico, ubi *P. 1. L. 1. T. 35. A. 4.* §. *2.* teſtes domi examinandi ſunt, ſo da kranck und unvermögend, oder ſonſt aus erheblichen Urſachen verhindert werden.

§. X. *Sed ſi Mulier uterum geſtans releganda eſſet, num relegatio poſt editum partum differenda?* Et Reſp. diſtinguendo hic reſpondendum eſſe, ſi enim partui ex relegatione periculum imminet, v. c. quando confinia, ultra quæ mulier relegatur, longe diſtent a loco habitationis, vel iter aſperum ad locum exilii ſit ſubeundum, aut tempus pariendi inſtet, hoc caſu relegatio differenda poſt partum, favore ventris, cum fieri vix queat, ut prægnans fœtu ſalvo & incolumi manente exilium maxime incommodum ferre poſſit, inprimis cum in *l. 1. D. de inſpic. ventr.* obſtetricibus a prætore miſſis, ventrem quidem inſpicere permittitur, tangere vero invita muliere non eſt licitum, ex ratione, quod abortus ex levisſimis etiam cauſis ſœpe accidat. WILDVOGEL. *l. c. th. 14.* MULLER. *l. c. th. 12.* Si vero omne ejusmodi periculum ceſſet, & relegatio non eſt differenda. HAHN. *ad Weſenb. c. l.*

§. XI. Ob favorem Partus in utero exiſtentis cum prægnans delinquens relegari ordinarie nequeat, jam quæritur: *Num pœ-*

na corporis afflictiva ea affici poſſit, veluti fuſtigatione, abſciſſione digitorum, amputatione manus, inuſtione ſtigmatis, & quæ ſunt reliquæ pœnæ corporis afflictivæ? Et Reſp. quod non, cum terrore & cruciatu gravida facile eo adigi poteſt, ut abortum faciat; inde non ſolum intra 40. dies, dum decumbit, ſed & ante & poſt puerperium ejusmodi pœna affici nequit, donec infanti nutrix reperiatur. Diſtinguenda tamen & hic veniunt tempora puerperii. Si enim gravidæ tempus pariendi longe diſtet, ex praxi pœna fuſtigationis ordinaria, in extraordinariam, ſcil. relegationem commutari ſolet, ne ea longiori incarceratione ſanitatis ſentiat jacturam, ipſeque fœtus de vita periclitetur. Inde hunc in modum tunc ſententiam concipi refert WILDVOGEL. *l. c. cap. 4. th. 12.* Es wolle denn die Obrigkeit, in Anſehung daß die Gefangene ſchwangeren Leibes ſich befindet, und annoch eine geraume Zeit zur Geburt vor ſich hat, den Staupenſchlag in die ewige Verweiſung verwandeln, ſolches wäre ſie zu thun wohl befugt, und würde ſo dann die Verweiſung nach Erſtattung der Unkoſten und abgelegter Urpfehde billig vollſtrecket. Aut fuſtigari ea ſolet cum moderatione, ne is, qui in utero eſt, lædatur. Si autem ad medium pariendi tempus pervenerit, wenn die Geburt bis zur Helffte gekommen, & fuſtigatio decreta differenda ne abortio contingat, & quidem poſt 6. ſeptimanas, edito partu exequenda eſt, & tunc adhucdum cum moderatione, ne per fuſtigationem alimenta infanti detrahantur. Inde in Scabinatibus ita ordinarie ejusmodi in caſu pronunciari refert, *cit.* WILDVOGEL. *l. c.* Dieweil die Vettel ſchwangern Leibes iſt, ſo wird die Execution ſolcher Leibes-Straffe bis ſie des Kindes geneſen, und ihre Sechs-Wochen umb ſeyn, billig eingeſtellet, und folgends im Streichen eine ſolche Maße gehalten, daß dem Kinde, da ſie es ſelbſt nehren wird, an ſeiner Nahrung kein Abbruch geſchehe. In reliquis tamen pœnis corporalibus ante allegatis, omnino ejus executio poſt

puer-

puerperium differenda, ne ob cruciatum mulier abortum faciat, aut proli lactanti damnum vitæ inferatur. Calamitas enim matris ei, qui in ventre eſt, nocere non debet, juxta *pr. J. de Ingen.* Et licet puerpera dicatur ſana & integræ valetudinis in *l. 14. §. 2. D. de ædilit. Edicto*, & puerperam exactis 6. ſeptimanis, nach gehaltenen Sechswochen, vires recuperaſſe vere ſimile ſit, ita ut hanc pœnam ſine periculo mortis ſuſtinere queat, quia tamen debili adhuc eſt corpore, & facillime fieri poſſet, ut partus recens editus ob nutrimenti & lactis materni corruptionem periret, non immerito per id tempus pœna corporalis differtur, ac poſtea ita attemperatur, ne per eam alimenta infanti detrahantur. CARPZOV. *P. 3. Criminal. qu. 137. n. 21. 22.* niſi infans nutricem habeat aliam, vel a matre, vel ex publico ob egeſtatem Matris conſtitutam, quo caſu & finito puerperio pœna corporali affici poteſt.

§. XII. Ex hiſce Quæſtio ſequens fluit: *Num mulier gravida, nondum edito partu, torqueri aut terreri poſſit?* Et Reſp. Negando. Ita enim PAULUS *Lib. 1. ſentent. tit. XII. §. 5.* *Prægnantes neque torqueri, neque damnari, niſi poſt editum partum, poſſunt.* Et ULPIAN. *in l. 3. D. de pœn.* ſcribit: *Prægnantis mulieris conſumendæ damnatæ pœna differtur, quoad pariat. Ego quidem, & ne quæſtio de ea habeatur, ſcio obſervari, quamdiu prægnans eſt.* Cujus Legis duplicem adfert rationem CARPZ. *l. c. qu. 118. n. 52. 53.* ut 1) partus ſalvus & illæſus ſeruetur; ne 2) ipſamet fœmina prægnans, quæ plerumque debili eſt corpore, ex tormentorum doloribus damnum vitæ ſentiat. Imo poſt partum editum dies 40. expectandi, donec puerpera ad torturam peruenire queat, uti a Scabinis Halenſibus reſponſum refert MULLER. *de Jur. prægn. c. 4. th. 9.* quod & expreſſum in *Jure Pruſſico P. 3. L. 6. T. 3. A. 7. §. 2.* ibi: Gleichergeſtalt und fürs ander werden auch die Weiber, ſo mit ſchwangern Leibe gehen (und iſt allhie gleichviel, ob ſie von ihren eigenen Manne, oder von einem an-

dern geſchwängert) ausgenommen, welcher man deshalb billig mit peinlicher Frage verſchonet, damit man ihr die Frucht im Leibe nicht abtreiben möchte: So ſoll man ſie, nachdem ſie der Geburt entlediget worden, auch nicht eher mit peinlicher Frage angreiffen, ſie ſey dann wieder zu ihrer Geſundheit kommen, das iſt nach viertzig Tagen. Inde in Collegiis juridicis ita pronunciari refert WILDVOGEL. *l. c. th. 15.* Es wird aber die ſcharffe Frage, weil die Gefangene ſchwangeres Leibes iſt, bis ſo lange ſie ihrer leiblichen Bürden entlediget, und des Kindes geneſen, auch die Sechswochen um ſeyn, billig eingeſtellet. ꝛc. Cur vero puerpera neque intra 40. dies poſt puerperium torturæ ſubjiciatur, hæc eſt ratio; tum quod purgationes puerperii ordinarie per 40. dies durent, tum inprimis, quia ceſſante etiam puerperio venæ adhuc hiant, & apertæ ad hoc usque tempus in pluribus remanent, ad expurgandas ſuperfluitates in uteri ſubſtantia a partu relictas, ex quo periculoſus excitari poteſt morbus, aſſerente ZACCHIA *in Qu. Med. Leg. L. 6. T. 2. Qu. 4. n. 20.* Neque hic tempus attenditur, an grauida proxima ſit partui, an vero ante paucos ſaltim dies conceperit. Licet enim fœtus nondum ſit vitalis, fœmina tamen propter ſpem futuræ animæ tormentis ſubjicienda non eſt. Nec refert an ex legitimo matrimonio, an ex adulterio, vel alio coitu illicito fœtus conceptus ſit, aut mulier in carcere fraudulenter & doloſe, evitandæ torturæ cauſa conceperit; Sufficit enim, ob quemvis partum mulierem torqueri non poſſe, cum ſemen hominis ex quocunque homine Dei creatura, & propterea cuſtodiendum ſit, *c. 3. diſt. 56.* Judex igitur, ſi dolo malo prægnantem torturæ ſubjecerit, homicida eſt, & arbitrarie puniendus, niſi ignorantia concurrat, inductus imperitia Medici aut obſtetricum, quo caſu judex abſolvendus, licet gravida eapropter abortum fecerit. Poſſe tamen puerperam intra 6. ſeptimanas torqueri, ſi periculum ſit in mora, data interim alia infanti nutrice, autumat BRUNNEM. *ad l. 3. D. de Pœn.* alias favor infantis etiam facit,

cit, ut & iis matribus, quæ partum lactant, tortura alicubi remittatur. BRVNNEM. *in Proceſſ. Inquiſ. c. 8. M. 5. n. 31.* quod & ſuadet ZACCHIAS *l. c. n. 21.* quia hic verſatur periculum & infantis & matris. Notat tamen CARPZOV. *d. qu. 118. n. 60.* in Scabinatu Lipſienſi, non obſtante favore pueri lactandi, matri torturam indictam fuiſſe, ita tamen, ne infanti quoad nutrimentum noceatur, damit dem Kinde in ſeiner Nahrung kein Abbruch geſchehe. Et ita quoque in Fac. jurid. Francof. ab Anteceſſoribus pronunciatum fuiſſe, refert BRVNNEM. *d. l.*

§. XIII. Hactenus quæ de *Tortura* dicta ſunt, applicant quoque Dd. ad *Territionem*, & quidem realem, quæ fit, quando rea ad locum Torturæ per Carnificem ducitur, & funibus alligatur, absque elevatione tamen corporis, quæ & prohibita exiſtimatur, cum idem quoad partum operetur, quod tortura, & ſi gravidam deterreas, fœtum abjicere facile coges. ZACCH. *l. c. L. 6. T. 7. Qu. 3. n. 5.* Quod vero territionem puerperæ, ſeu quæ partum jam edidit, concernit, diſtinguit laudatus ZACCH. *l. c. n. 8.* inter puerperam, quæ eſt in primis puerperii ſui diebus, quo caſu nullo modo terrore afficienda, qui terminus 10. ad ſummum 15. dierum eſſe debet; ſequentibus vero diebus incuſſum terrorem non adeo periculoſum eſſe notat.

§. XIV. *Num vero Mulier prægnans ad mortem condemnata, dilatione ſupplicii gaudeat*, quæritur? Et Reſp. cum juxta *c. 3. diſt. 56.* filius portare non debeat parentum ſuorum iniquitatem, filiusve pro matre puniri non poſſit, cum pœnæ perſonam non egrediantur, *l. 26. D. de pœn.* alias enim filius alieni criminis ſucceſſor conſtitueretur. *c. 6. cauſ. 1. qu. 4.* inde recte jura ultimum ſupplicium poſt editum partum diſtulere, quæ conſtitutio initium ab Ægyptiis ſumſiſſe videtur, a quibus ad Græcos translata, referente PLVTARCHO *in libro de his, qui ſero a Numine puniuntur*, ibi: *Legem autem ægyptiam, nonne videntur recte quidam Græcorum deſcripſiſſe, quæ jubet gravidam, ſi morti fuerit damnata, aſſervari,*

donec

donec pariat. Idem affirmat DIODORVS SICVLVS *Lib. 1.* ubi de Ægyptiis, inquiens: *Prægnantes ad mortem condemnatas ante partum non interimebant. Quam Legem multi Græcorum receperunt, iniquum exiſtimantes, quod nihil deliquiſſet, idem cum malefico ſupplicium perpeti; & ob unius facinus a duobus pœnam exigi. Ad hæc, cum maligno ſcelus conſilio peractum eſſet, eidem ſupplicio non intelligentem nondum ſubjici: &, quod omnium maximum, nequaquam convenire, ut cum gravida tantum rea peragatur, fœtus tam patri, quam matri communis, vita multetur: quandoquidem non magis improbentur judices, qui cædis reum ſervant, quam qui inſontes e medio tollunt.* MENAGIVS *Amœn. jur. Civ. cap. 21.* ÆRODIVS *Lib. 9. Rer. judicat. Tit. 11. c. 1.* Idem & ſtatutum fuiſſe LL. Atticis, *cit.* MENAG. refert ex ÆLIANI *Lib. 5. variar. Hiſtor. c. 18.* ibi: *Judices Areopagitæ, cum veneficam mulierem deprehendiſſent, & eam morti tradere vellent; non prius ipſam interemerunt, quam partu liberaretur. Poſtquam vero peperit, quod conceperat, ſolventes a damnatione innocentem infantem, eam quæ commeruerat ſupplicium, ſolam morte multarunt.* Add. BRISSONIVS *Lib. 2. Antiqu. jur. Civ. c. 20.* Inde & Lex, quæ erat apud Indos, ut uxor ſimul cum marito defuncto combureretur, hanc exceptionem habebat: *Niſi ex eo prægnans, gravidaque eſſet.* ÆROD. *l. c.* Ex LL. Ægyptiorum, & inprimis Græcorum, hanc Legem ſuam fecerunt LLatores Romani, qui prægnantis mulieris ultimo ſupplicio damnatæ pœnam, quoad pepererit, differri voluerunt. Sic enim PAVLVS *lib. 1. ſent. Tit. 12. §. 5.* & VLPIAN. *in l. 3. D. de pœn.* in verbis ſupra adductis id probatum dederunt, quibus locis idem VLPIAN. adſtipulatur in *l. 18. D. de Stat. Hom.* inquiens: *Imperator Hadrianus Publicio Marcello reſcripſit, liberam, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, liberum parere: ſed ſolitum eſſe, ſervari eam, dum partum ederet.* Idem affirmat QVINTILIAN. *Declam. 277.* ibi: *Supplicia prægnantium Lex differri in diem partus jubet.* Et *Joh.* CHRYSOSTOMVS *T. 1. Homil.*

v. de

v. de Pœnitentia ita: *Nam adſtruunt, & qui de LL. publicis diſputant, atque Romanorum mandant leges, prægnantem; ſi quando contigerit mortis pœna damnari; non prius, quam pepererit, necari: & probe quidem. Neque enim juſte Legumlatores judicaſſent, cum peccatrice innoxium ſimul fœtum tolli.* Idem refert CLEMENS ALEXANDRIN. *Lib 2. Stromat.* inquiens; *Hinc etiam Romani, ſi qua mulier prægnans fuerit damnata capitis, non prius permittunt ut ſupplicium ſubeat, quam pepererit.* MENAGIVS *l. c.* Culpandus igitur maxime venit Claudius Rom. Imper. quem ne ſupplicio quidem prægnantium mulierum abſtinuiſſe DIO *Lib. 57.* prodidit, cum tamen juris ſanctio non modo capitalem pœnam ſumi; ſed ne quæſtionem quidem de prægnante haberi patiatur. BRISSON. *l. c.* Imo ſervari debet mulier prægnans damnata, licet tantum conceperit, aut prægnans in ipſo carcere facta fuerit. Imo perinde eſt, ſive ex licito ſive illicito, legibusque damnato coitu fœmina punienda conceperit, aut doloſe & fraudulenter, evitandæ pœnæ cauſa, cum viro conſueverit, & ab eo impprægnata fuerit, nihilominus executio ſuſpendi debet, cum executionis ſuſpenſio non mulieris, ſed partus gratia indulgeatur. *D.* AMSEL. *in Diſſ. de eo, quod extremum judicialem actum, ſeu Executionem ſiſtit & differt. §. 37. hab. Regiom. 1696.* Errare inde exiſtimamus P. ÆRODIVM, quando *l. c.* ſcribit: *Si a copula dies 40. non fluxerint, lege agi poteſt, quia antea non eſt animal, neque ſecundum Moſem, pœna eſt antea abortioni conſtituta.*

§. XV. Hactenus dicta omnia confirmarunt jura Statutaria, licet non expreſſe, tamen implicite, dum ne quidem gravidam torqueri patiuntur. Partu tamen edito, mulier prægnans ad mortem condemnata ultimo ſupplicio tradi poteſt, cum absque periculo illam pœnam pati poſſit; neque hic habenda ratio valetudinis ad differendam puerperæ executionem, ſed ſtatim in eam poſt partum animadverti poteſt, modo alia inveniatur mulier, quæ infantem alat. Si vero nutrix inveniri nequeat, ſervanda

 mater,

mater, donec haberi poſſit, cum non minus jam nati, quam naſcituri habenda ratio. BRUNNEM. *Proceſſ. Crim. C. 8. M. 5. n. 14.* RICHTER. *Deciſ. 8. n. 7.* Et ita a Scabinis Halenſibus pronunciatum refert MVLLER. *l. c. th. 15.* quamvis alii velint, non ſolum tempus partus quoad executionem ſententiæ faciendam exſpectandum eſſe, ſed ſpatium inſuper 6. hebdomadarum ejusmodi mulieri concedendum, & eo usque executionem differendam eſſe, quod in terris Saxonicis indifferenter obſervari teſtatur CARPZOV. *Qu. 118. Crimin. n. 54.* Moribus tamen Ebræorum adulteræ prægnantes ſtatim atque damnatæ erant, ſupplicio afficiebantur, infante prius in ventre matris occiſo: niſi forte ſederent ſuper Sellam parturientis, i. e. niſi, cum damnarentur, in ipſis eſſent partus dolores. Hunc tamen morem jam Philonis Judæi temporibus in non uſu fuiſſe colligit MENAGIVS *l. c.* ex ejus libello περὶ φιλανθρωπίας, quando ſcribit: *Vnde etiam quidam Legumlatores de mulieribus capite damnatis legem conſtituiſſe videntur, quæ vetat, prægnantes, ſi capitale crimen admiſerint, morte affici, priusquam partum ediderint; ne cum illis fœtus eorum intereat.* Et ATHENÆVS *lib. 9.* lege priſca ſancitum memorat, in ſingulis gregibus, ut proli conſuleretur, ne ovis aut intonſa, aut priusquam peperiſſet, occideretur. Add. locum CLEMENTIS ALEXANDRINI apud MENAGIVM *l. c. in f.*

§. XVI. Spectat & huc Lex Regia, quæ ſtatuit, ne mulier quæ prægnans mortua eſt, humetur, antequam partus ei excidatur. De qua Lege ita JCtus MARCELLVS *in l. 2. D. de Mort. infer. Negat Lex Regia, mulierem, quæ prægnans, mortua ſit, humari, antequam partus ei excidatur, qui contra fecerit, ſpem animantis cum gravida peremiſſe videtur.* A quo tamen hæc Lex lata ſit, non additur, nec adhuc inter eruditos conſtat. FR. HOTOMANN. autumat, partem eam fuiſſe alicujus Legis Romuli, aut Numæ Pompilii, plerique tamen eam Numæ adſcribunt. Sic refert VALER. MAX. *L. 1. c. f.* Georgium quendam Epirotam in

funere

funere matris ſuæ utero elapſum, & inopinato vagitu ſuo lectum ferentes conſiſtere coëgiſſe, & ita matrem fato functam peperiſſe, Georgium, vel Gorgiam, ante elatum quam natum fuiſſe. Nec deſunt exempla eorum, qui cum alias lucem non adſpexiſſent, hoc modo ſervati fuerunt, qualis fuit Julius Cæſar, qui nomen a cæſo matris utero, dum naſceretur, adeptus, juxta *Plinium L. 9. Hiſt. Nat. c. 9.* Qui enim cæſo Matris utero in lucem prodibant, Cæſares dicebantur; necatis vero matribus, qui naſcebantur, Cæſones appellabantur, & ejusmodi partus exſectos, vulgo Aus-ſchnittlinge, PLIN. *l. c. cap. 2.* vult auſpicatiores haberi. Quales fuiſſe Scipionem Africanum, Don Sancho Garziam, Regem Navarræ, Eduardum VI. Anglum, S. Gebhardum, Epiſcopum Conſtantienſem, Ulricum, Comitem Würtembergiæ, Burchardum, Comitem Buchhornanum, Ferdinandum Albanum, aliosve plures, Hiſtoriæ referunt. WILDVOGEL. *l. c. th. 10.* MVLLER. *l. c. th. 8.*

§. XVII. Conſulitur etiam gravidis & partui, ſi tum prægnantes, quoc. geſtationis tempore, tum puerperæ per totum puerperium, tum Nutrices, quousque infantibus lac præbent, nullo modo jejunent, imo jejunando peccant. ZACCH. *Lib. 5. T. 1. Qu. 5. n. 36.* Inde ejusmodi fœminæ ab obſeruatione Legis eccleſiaſticæ de Jejuniis recte excluduntur, prout patet ex *Declarat. Cæſar.* wegen der Religion ꝛc. *de anno 1548. tit. ult. §. 16.* ibi: Es ſollen auch daneben die gewöhnliche Faſten der Kirchen gehalten werden, doch daß diejenigen, welche die Noth entſchuldiget, als da ſind harte Arbeiter, Wandersleute, ſchwangere Weiber, Seug-Ammen, Kinder, Alte und Krancke hiermit nicht verbunden seyn ſollen. Inde cum puerpera propter appetitum extraneum, ac fœtus nutrimentum a jejunio rationabiliter excuſetur, igitur nec Sacerdos prægnanti pœnitentiam abſtinentiæ imponat, ne & gravidæ & fœtui periculum adferat. Moribus quoque Ebræorum ab onere jejunandi excipiebantur tum gravidæ, tum lactantes, tum parvuli. Septem tamen erant jejunia publice a Synedrio in-

 timata,

timata, in quibus ſolis gravidæ, lactanteſque jejunabant. Vid. M. GEIER *de Ebræorum Luctu. cap. 20. §. 6.* Recte quoque partui vicinis Sacramentum Euchariſtiæ permittitur tempore interdicti, quo in terris Religionis Pontificiæ perſonæ a celebratione divinorum & perceptione Sacramentorum arcentur. Vid. MVLLER. *l. c. th. 22. 24.*

§. XIIX. Quæritur: *An Maritus ab uxore tempore partui vicino debitum conjugale exigere poſſit?* Et Reſp. Canoniſtæ unanimiter fere in eam abeunt ſententiam, Conjuges mortaliter peccare, ſi tempore prægnantiæ venere utantur, quando vereſimilis adeſt timor abortus; tum quod fœtus periculo exponatur, tum quod ipſa prægnans periculum incurrat ſuæ ipſius valetudinis. Si vero nullus abortus ſperandus ſit, concedunt concubitum cum gravida. Alii diſtinguunt tempora, ita ut primo ipſius prægnantiæ tempore, & poſtremo, debitum conjugale neque exigi neque reddi debeat; in intermediis autem conjuges debitum & exigere & reddere queant; idque ex ea ratione, quod primis & poſtremis prægnantiæ temporibus gravida facile abortiat, non item tempore intermedio. Sed Reſp. ad ea ZACCH. *l. c. n. 16. ſequ.* mulieres non omnes eadem natura quoad abortum præditas eſſe, cum aliæ facilius primis poſt conceptionem temporibus, aliæ facilius intermediis, aliæ temporibus partui vicinis, abortum faciant, ita ut ſimpliciter loquendo prægnantia, niſi aliunde timor adſit rationabilis, neque exactionem, neque redditionem debiti impediat, modo major quoad uſum Veneris cautela adhibeatur in prægnantia, quam extra eam, inprimis cum a Medicis mulieribus prægnantibus concubitus in extremis menſibus concedatur, ob id, quod partum faciliorem reddere exiſtiment. Aliud quoque periculum imminere volunt quidam ex coitu cum gravida, ſuperfœtandi nimirum & molam gerendi. Sed cum tum ſuperfœtatio, tum Molæ generatio res rara ſit, inde nec ob hæc pericula concubitus cum prægnantibus diſſuadendus. Conf. plur. de

hac

hac materia ZACCHIAS *l. c. n. 19. 20.* Inde concludimus, ſi timor non adſit rationabilis, poſſe conjuges quovis prægnantiæ tempore debitum & exigere & reddere, cum matrimonium non modo ſit, in officium, ſed & in remedium, ut concupiſcentiæ ſatisfiat. Apud Eſſenos tamen, certa Judæorum Secta, nemo cum uxore prægnante concumbebat, teſte JOSEPHO *Lib. 2. Bell. Jud. c. 7.* quo ipſo oſtendebant, ſe Nuptias non voluptatis, ſed liberorum cauſa iniviſſe. Et de Zenobia, Palmyrenorum Regina, refert TREBELLIVS POLLIO *apud* VIV. *de fœm. Chriſt. L. 2. c. 5.* eam, cum omnium prope fœminarum (ut JVLIO CAPITOLINO placuit) ſpecioſiſſima fuerit, tantæ Caſtitatis fuiſſe, ut ne maritum quidem ſuum admitteret, niſi tentatis conceptionibus. Nam cum ſemel concubuiſſet, exſpectatis menſtruis ſe continebat, ſi prægnans eſſet: ſin minus, iterum poteſtatem ſui viro faciebat.

CAPVT II.

De Temporibus ipſius Puerperii.

SVMMARIA.

§. I. *Puerperæ Rom. opem Junonis Lucinæ,* II. *Græcæ Dianæ Lucinæ implorabant.* III. *Solennitates Puerperæ Rom. mortuo marito num hodie in uſu.* IV. *Judæorum ritus circa Puerperam in agone mortis conſtitutam.* V. *Catajani uxorum puerperarum vices ſubeunt.* VI. *Partus quo tempore naſci debeat, ut ſit legitimus.* VII. VIII. IX. *Partus ſeptimeſtris num ſit legitimus.* X. XI. *Num Octimeſtris.* XII. XIII. *num Nouimeſtris.* XIV. XV. *num Decimeſtris.* XVI. XVII. *num Undecimeſtris.* XVIII. *num Duodecimeſtris, & ſequ. Menſibus natus.* XIX. *Num Antiſeptimeſtris.* XX. *Partus mox poſt nuptias editus, num de jure legitimus.* XXI. *Libertas ex quo tempore dijudicanda.* XXII. *Juribus partus legitimi num fœtus exſectus fruatur.* XXIII *Num abortivus.* XXIV. *num a majore quinquagenaria editus.* XXV. *Maturitas partus quomodo probanda.* XXVI. *Fœtus quot uno partu ſecundum LL. naſci poſſint.* XXVII. *Exempla numero-*

meroſorum partuum XXVIII. *Vulva muliebris num plura habeat receptacula.* XXIX. *Portio qualis hereditatis ventri de J. Civ. relinquenda.* XXX. *qualis de Jure hodierno.* XXXI. *Superfœtatio num locum habeat, ita ut partu jam edito, ſucceſſive plures adhuc fœtus poſt diverſa tempora edi poſſint.* XXXII. *Superfœtatio intra quod tempus, poſt primam Conceptionem fieri poſſit.* XXXIII. XXXIV. *Exempla Superfœtationis.* XXXV. *Ex Gemellis num pro primogenito habendus is, qui primo conceptus, an qui primo editus.* XXXVI. XXXVII. *In dubio quis primogenitus credendus.* XXXVIII. *Inter exſectos quis pro primogenito habendus.* XXXIX. *Incolæ Inſulæ Madagaſcar partum infelici tempore editum necant.* XL. *Incolæ Inſulæ Formoſæ partum ab uxore ante 37. Æt. annum editum trucidant.* XLI. *Pruſſis olim liberos necare moris erat.* XLII. *Ebræi num fœtum in utero, imminente uxori periculo trucidaverint.* XLIII. *Hodie num hoc caſu fœtum abigere liceat.*

§. I.

PErluſtratis inſignioribus ipſum Puerperium præcedentibus temporibus, jam ad tempora notabiliora ipſius puerperii progredimur. Et quidem mox hic notare juvabit: Parturientes apud Rom. Opem Junonis Lucinæ imploraſſe. Inde apud TERENTIVM *Andria Act. 3. Sc. 1.* Glycerium parturiens ita exclamat: *Juno Lucina fer opem, ſerva me obſecro,* ubi DONATVS notat, hoc verſu totidem verbis uti omnes puerperas in Comœdiis. Et hanc Deam Lucinam finxit Superſtitio Romana, quæ partum in lucem produceret. Ita enim ARNOBIVS *lib. 3. adverſ. gent.* ſcribit: *Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina.* Conf. BRISSON. *Lib. 1. Formul. Rom. p. m. 59.*

§. II. Quemadmodum vero Juno Lucina Puerperis Rom. auxilio erat, ita Græcis Diana Lucina, teſte CICER. *lib. 2. de Nat. Deor. Itaque*, ait, *ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Idem comprobat MACROB. *lib. 7. Saturnal. cap. ult. Dianam, quæ Luna eſt, Lucina a parturientibus invocatur, quod proprium*

ejus munus eſt, diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui ſalutare eſt. Plura loca hæc comprobantia congeſſit BRISSON. *l. c. p. 59. 60.*

§. III. Variæ quoque Solennitates Impp. Rom. temporibus introductæ erant, ſi uxor poſt mortem mariti gravida eſſet, & tempus pariendi appropinquaret. Multa enim Edictum Prætoris de inſpiciendo ventre, cuſtodiendove partu continet, quæ tempora quædam inſigniora huc ſpectantia comprehendunt, quæque in *l. 1.* §. *10. D. de inſpic. ventre cuſt. part.* deſcribuntur, ſequentis tenoris: *Si mulier, mortuo marito, prægnantem ſe eſſe dicet: his, ad quos ea res pertinebit, procuratorive eorum* bis in menſe *denuntiandum curet, ut mittant, ſi velint, quæ ventrem inſpicient. Mittantur autem mulieres liberæ duntaxat quinque: hæque ſimul omnes inſpiciant: Dum nequa earum, dum inſpicit, invita muliere ventrem tangat. Mulier in domo honeſtiſſimæ fœminæ pariat, quam ego conſtituam. Mulier ante* dies triginta, *quam parituram ſe putat, denuntiet his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusque eorum, ut mittant, ſi velint, qui ventrem cuſtodiant. In quo conclavi mulier paritura erit: ibi ne plures aditus ſint, quam unus. Si erunt, ex utraque parte tabulis præfigantur. Ante oſtium ejus conclavis liberi tres, & tres liberæ cum binis comitibus cuſtodiant. Quotiescunque ea mulier in id conclave, aliudve quod, ſive in balneum ibit: Cuſtodes, ſi volent, id ante proſpiciant, & eos, qui introierint, excutiant. Cuſtodes, qui ante conclave poſiti erunt, ſi volunt, omnes, qui conclave, aut domum introierint, excutiant. Mulier, cum parturire incipiat, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, denuntiet: ut mittant, quibus, præſentibus pariat. Mittantur mulieres liberæ duntaxat quinque: ita, ut præter obſtetrices duas, in eo conclavi, ne plures mulieres liberæ ſint, quam decem: ancillæ, quam ſex. Hæ, quæ intus futuræ erunt, excutiantur omnes in eo conclavi, ne qua prægnans ſit. Tria lumina, ne minus, ibi ſint: ſcil. quia tenebræ*

nebræ ad ſubjiciendum aptiores ſunt. Quod natum erit: his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, ſi inſpicere volent, oſtendatur. Apud eum educatur, apud quem parens juſſerit. Si autem nihil parens juſſerit: aut is, apud quem voluerit educari, curam non recipiet: apud quem educetur, cauſa cognita, conſtituam. Is, apud quem educabitur, quod natum erit, quoad trium menſium *ſit*, bis in menſe: *ex eo tempore, quoad* ſex menſium *ſit*, ſemel in menſe: *a* ſex menſibus, *quoad anniculus fiat*, alternis menſibus: *ab anniculo, quoad fari poſſit*, ſemel in ſex menſibus, *ubi volet, oſtendat. Si cui ventrem inſpici, cuſtodirive, adeſſe partui licitum non erit: factumve quid erit, quo minus ea ita fiant, ut ſupra comprehenſum eſt, ei quod natum erit poſſeſſionem cauſa cognita, non dabo. Sive quod natum erit, ut ſupra cautum eſt, inſpici non licuerit: quas utique actiones me daturum polliceor his, quibus ex edicto meo bonorum poſſeſſio data ſit: eas ſi mihi juſta cauſa videbitur eſſe, ei non dabo.* Ex quibus patet, haſce ſolennitates tum demum obſervatas fuiſſe, ſi ſuſpicio contra viduam pugnabat, cum partus alienus familiæ ſubjici poſſit. Pertinent huc, quæ habet *Speculum Saxon. L. 1. art. 33.* ibi: Nun vernemt, umb ein Weib die da Kind trägt nach ihres Mannes Todes, und ſich Beerhafft weiſet (quod denuntiationem denotat) zu der Begräfft (Begräbnüß) oder zu dem dreyßigſten. Hocce tamen Edictum non amplius in uſu, neque præter denunciationem petitio requiritur, ut mittantur, qui ventrem inſpiciant, aut partum cuſtodiant; ſed ſufficit ſola denunciatio, cujus formam BARTOLVS *in l. 1. §. 1. n. 9. D. de Lib. agnoſc.* tradit: quod ſolum notificare debeat, ſe ex viro illo prægnantem, nec debeat ulterius inſtigare, ut mittat cuſtodes, quod nemo teneatur inſtruere adverſarium ſuum. SCHILTER. *Exerc. 36. ad D.* §. *125.* inprimis cum hodie certitudo partus duobus etiam teſtibus juratis probari poſſit. STRYK. *in Uſ. mod. D. ad d. t.* §. *3.* Vult tamen HAHN. *ad Weſenb. h. t.*

& cum

& cum eo STRUV. *ad h. t. Exerc. 30. §. 81.* Edictum hocce adhuc hodie utile eſſe ob Succeſſionem feudalem, ſi vidua, præſertim defuncti nobilis ſe prægnantem eſſe dicat.

§. IV. Nec deſunt hodiernis Judæis ceremoniæ quædam ſuperſtitioſæ, quibus auxilium ſperant, quando Puerpera in agone mortis conſtituta, partum edere nequit. Refert enim *Paul. Chriſt.* KIRCHNERVS, *Rabbi e Judaiſmo ad Chriſtianiſmum converſus*, *in Tr. ſub rubro*, Jüdiſches *Ceremoniel. cap. 19.* quod ejusmodi in caſu Maritus ad portam hypocauſtæ, in quo puerpera degit, ſe conferre, tribusve vicibus cap. 54. Eſaiæ prælegere teneatur. Lectio hæc ſi puerperæ non ſit auxilio, decalogum ex Synagoga apportant ſcriptum, huncve in loco quodam Cameræ ſeponunt, multum ſolatii exinde ſperantes. Si nec illud opem ferat, ſanguinem Puerperæ præbent arefactum, quem innocenter occiſi infantis Chriſtiani, ipſi Judæi converſi eſſe volunt, multisve approbant, cujus tamen editio, quæ fit a ſupremo Rabbinorum præfecto, non aliter, niſi ſub graviſſima cautione (ne ſcil. a Chriſtianis prodantur) & ſumma urgente neceſſitate, admittitur. Puerpera enixa, in Schedula quadam caput 121. vel 20. ſcribunt, illamque velamini thalami affigunt, cretave lineam per totum hypocauſtum, ubi puerpera partum edidit, ducunt, ſuperve eam lineam ſequentia verba notant: *Adam & Eva kunz ſimi weſinſini weſimoni geluff.* ex Cabala Judæorum, quod ſcriptum certiſſimum ac infallibile contra omnem incantationem credunt remedium. Inſimul adhuc ſub pulvinari gladium recondunt evaginatum, quem puerpera tribus vicibus ad thalamum, parietes & terram, ſtringere tenetur, & hoc quidem per *Intervallum XXX. dierum, quavis nocte una vice.* Solent quoque vicini mariti ac pueri per iſtos *XXX. dies*, circa puerperium ſe ſiſtere, clarave voce veſpertinas ad DEVM fundere preces. &c.

§. V. Antequam ad alia convolemus, notare juvabit mo-

rem

rem Catajanorum, incolarum Provinciæ Sinenſis Catajæ, qui uxores ſuas parturientes hoc maxime ſingulari proſequuntur amore, ut vices puerperæ *per 40. dies* gerant, idque ipſo facto demonſtrent, dum per dictum tempus more puerperarum in puerperio inveniantur, quod ex Itinerariis refert HALLMANN in ſeinen Leich-Reden *p. m. 113.*

§. VI. Sed jam ad alia majoris momenti progredimur, & quidem ad ipſum partum editum, ubi inter ICtos quæſtio ardua exſurgit, *quo nimirum tempore partus edi debeat, ut legitimus dici poſſit?* Et Reſp. Partum tum a Medicis atque Phyſicis, tum a ICtis pro legitimo haberi, qui a menſe ſeptimo, usque in decimum natus eſt. Sed ut hic jam ordine procedamus, juvabit ſingulos pertranſire menſes, a ſeptimo nimirum conceptionis, usque ad decimum & ultra, & quid de partu antiſeptimeſtri ſit habendum, fuſius explicare.

§. VII. Quæritur igitur: *Num partus ſeptimeſtris ſit legitimus?* Et Reſp. Antiqui partus ſeptimeſtres juxta FESTVM exterricineos, ſeu exterraneos nominarunt, quippe quos mater vel exterrita, vel alia cauſa gravi impulſa quaſi ejiciat. Et quamvis olim circa hunc partum maximæ fuerint diſſenſiones, primus tamen has terminare auſus eſt HIPPOCRATES *lib. de ſept. partu*, variis locis comprobans eum eſſe legitimum, quem & IMPER. ex auctoritate HIPPOCRATIS perfectum atque juſtum judicat *in l. 12. D. de Stat. Hom.* ibi: *Septimo menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt, propter auctoritatem doctiſſimi Viri Hippocratis, & ideo credendum eſt, eum, qui ex juſtis Nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum filium eſſe;* licet initio menſis ſeptimi natus ſit, juxta *l. 3. §. f. D. de ſuis & legit. hered.* ubi ULPIAN. ſequentia habet: *De eo autem, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & Divus Pius Pontificibus reſcripſit, juſto tempore videri natum.* Ex qua Lege conſtat, partum etiam initio menſis ſeptimi legitimum naſci.

Si

Si enim more Græcorum XXX. dies pro menſe computentur, notante GOTHOFREDO *ad d.* §. *f.* erunt 6. Menſes, & 2. dies. Regulariter enim, quoties in Jure Menſis unius aut plurium mentio fit, toties in ſingulos menſes 30. dies computantur, quæ ratio computandi eſt communis. Vid. ALTWEIN *de legali Menſium tempore. D. inaug. hab. Altdorf 1700.* § *39. ſequ.* Sed quomodo hæ binæ LL. ſint conciliandæ, quæſtionis eſt? dum prior de ſeptimo menſe in genere, poſterior vero de 182. diebus loquatur. Et Reſp. ICTOS hic non in una eſſe ſententia, Quidam enim hic menſes lunares intelligendos eſſe autumant, quorum ſinguli conſtant 29. diebus, & 12. horis, ut ita 182. dies, 6. Menſes & 5. dies conficiant. Sed huic ſententiæ adverſatur mos laudatus Græcorum, qui ſingulis menſibus 30. dies tribuerunt. Rectius igitur exiſtimamus, cum HAHN. *ad Weſenb. tit. de Stat. Hom. n. 3.* duos hujus partis limites eſſe, alterum breviorem, ſcil. 182. dierum, *d. l. 3.* §. *fin.* alterum longiorem, dierum ſcil. 210. qui integros 7. menſes conſtituunt. Juxta *l. 12. D. de St. H.*

§. VIII. HIPPOCRATIS igitur auctoritas apud omnes fere ICTOS Philoſophos atque Medicos invaluit, ut pote qui partum ſeptimeſtrem pro vitali, & per conſequens pro juſto & legitimo habuerunt. Probabiliter vero Hippocrates hunc partum perfectum cenſuit, quoniam ſub Sydere Lunæ, vitæ humanæ compatibili naſcitur, deque natura & qualitatibus omnium planetarum participavit. Non defuere enim veteres Aſtrologi, qui 7. Planetis maximam operationem in generatione tribuerunt; & quidem *primum* menſem Saturno, qui ſemen in Matrice receptum, frigiditate & ſiccitate ſua condenſat. *Secundum* Jovi, qui Spiritum & membra tribuit. *Tertium* Marti, qui ſanguinem ſubtiliat, & humores ordinat. *Quartum* Soli, vitalem colorem & ſpiritum hepati & cordi tribuenti. *Quintum* Veneri, organa ſenſibilia & officialia membri perficienti. *Sextum* Mercurio

omnia corporis foramina diſponenti. *Septimum* Lunæ, ſuis limitibus membra dividenti & diſtinguenti. De quo commento conferri poteſt CONCILIATOR *in differ. phyſ. diff. 49.* ap. GRILLAND. *de Sortileg. qu. 13. n. 3. 4.* quam tamen fabulam excuſſit D. WEDEL. *in Phyſiol. Med. S. 3. c. 31. n. 3.* Alii rationem numero & virtuti Septinarii adſcribunt, de quo CENSORINVS *de die Natali c. 7.* ita loquitur: (ubi tamen hunc locum a FRANC. MODIO *in Nov-antiquis Lect. Epiſt. 35.* ſuppletum ac correctum in parentheſi tradeimus.) *Jam primum,* inquit, *quoto poſt conceptionem menſe infantes edi ſoleant, frequenter agitatum, inter veteres, nondum convenit. Hippon Metapontinus a ſeptimo ad decimum menſem naſci poſſe, exiſtimavit. Nam ſeptimo partum jam eſſe maturum, eo quod in omnibus numeris ſeptenarius plurimum poſſit. Siquidem ſeptimis a partu formentur dentes menſibus,* (ſeptem formemur menſibus) *additisque alteris recti conſiſtere incipiamus: & poſt ſeptimum menſem dentes nobis innaſcantur* (&) *iidemque poſt ſeptimum cadunt annum: XIV. autem pubeſcere ſoleamus. Sed hanc a 7. menſibus incipientem maturitatem, usque ad decimum* (decem) *perductam, ideoque* (ideo) *in aliis* (quod in aliis) *omnibus hæc eadem natura eſt, ut 7. menſibus, annisve, tres aut menſes, aut anni ad conſummationem accedant.* Quam mirifice enim in generatione hominis numerus ſeptenarius concurrat, explicavit *Petr. Bongus in Tr. de myſtica numer. ſignif. p. 206. ſeq.* Hunc quoque numerum eſſe, qui hominem concipi, formari, edi, vivere, ali, ac per omnes ætatum gradus ſenectæ tradi, atque omnino conſtare faciat, explicavit MACROB. *in Somn. Scip. c. 6.*

§. IX. Aliis tamen rationibus poſthabitis, ex quibus ſeptimeſtris partus vitalis, & per conſequens, legitimus habetur, illorum mihi arridet ratio, qui volunt, ſeptimo menſe primam partus perfectionem contingere, fœtumque, cum jam adeo auctus ſit, ad exitum a natura ſtimulari, ut ita omnibus viribus,

majori

majori nutrimento, & liberaliori reſpiratione indigens, lucem intueri appetat. ZACCH. *Quæſt. Med. Leg. L. 1. T. 2. Qu. 3. n. 53. 54.* Et licet Medici ut plurimum aſſerant, ejusmodi partum raro in vivis manere, ob imperfectitudinem & imbecillitatem, cum præveniat generationem perfectam, & neceſſe aliqua vis præternaturalis ſubſit, quæ illum ab utero detrudat, aut morbus proprius, aut matris, aut quia validiores motus aliquando ligamenta, quibus utero annectuntur, per vim disrumpunt, & ita ante tempus naſcuntur, indeque, quia debiles, non ſoleant, ut cæteri naſcentes plorare, nec ſternutare, nec feces aut urinam reddere nec ſimile aliquod virtutis ſignum præbere, & quæ ſunt reliqua, & ſi ejusmodi partus vivat, id fieri ex accidenti, licet raro contingat; nihilominus tamen exinde non ſtatuendum, omnes ſeptimo menſe natos eſſe illegitimos, cum ab imperfectione ad illegitimitatem argumentum non valeat, cum aliæ cauſæ latentes & peritiſſimis ſubeſſe poſſint, cur partus citius extrudatur: Imo licet hic partus habeatur pro imperfecto, reſpectu aliorum perfectiorum, nonimeſtris & decimeſtris, in ſe ipſo tamen ac propriæ naturæ reſpectu habetur pro perfecto. Conf. ZACCH. *l. c.* & VENETTE von Erzeugung der Menſchen *P. 2. c. 3. ſect. 4.* Taxandus inde merito Gerhardus Comes Holſatiæ, qui novellam Conjugem, Annam, Marchionis Badenſis filiam, tanquam neglectæ pudicitiæ convictam, ut repudiatam in patriam remiſit, ex eo, quod ſeptimo menſe peperiſſet. ZEIL. *Cent. 1. ep. 78.* Atque ex hac Medicorum auctoritate partus ſeptimeſtris ſemper in Foris pro legitimo declaratus fuit, quod variis præjudiciis confirmant CARPZOV. *P. 4. C. 27. d. 13. n. 12. & in J. Conſiſt. L. 2. Def. 224. n. 7. 8.* RICHTER *P. 2. Dec. 89.* HAHN. *ad* WESENB. *l. c.* & in Foro Pruſſico D. BOLTZ *in D. IV. de Conſiſtorio* §. 58. ubi duo Præjudicata allegat circa partum ſeptimeſtrem, qui pro legitimo declaratus fuit. Ut ita hodie, ſi a die nuptiarum & conſummationis per benedictionem

ſacerdotalem matrimonii, ſexto menſe partus naſcatur, vix ambigendum ſit, quin novi conjuges, commixtionis carnalis ante copulam ſacerdotalem inſimulari queant. ALTWEIN *cit. Diſſ.* §. *45.* Atque ejusmodi partum ſeptimeſtrem & Ebræi legitimum dijudicarunt, eumque, modo perfectus fuerit, die Sabbathi circumcidi voluerunt, prout patet ex MAIMON. *Tr. de Circumciſ.* §. *14. ibi: Qui menſe ſeptimo a tempore conceptionis ſuæ naſcitur, is partus, dummodo exiſtat perfectus, firmus ſtabilis eſt infans, eumque die Sabbathi circumcidunt. Si dubium oriatur, num pro partu ſeptimeſtri aut octimeſtri ſit habendus, eum omnino die Sabbathi circumcidunt. Si partus ſit ſeptimeſtris & perfectus, æquum eſt, ut Sabbathum pellatur. Si partus ſit octimeſtris ecce, is, qui circumciſionem peragit, ſimilis eſt abſcindenti carnem, quia abortus eſt, partus exiſtens octimeſtris.* D. WALTHER *in Exerc. 1. ad R. Moſ. Maimon. Tract. de Circumciſ.* §. *14. hab. Regiom. 1705.*

§. X. Sed *quid judicandum de partu octimeſtri,* ſeu, *qui natus poſt dies 210. usque ad dies 240?* (tot enim dies conſtituunt 8. menſes.) Reſp. HIPPOCRATES *in lib. de Octimeſt. partu in pr.* & *in lib. de Carnib. circ. f.* nullum ſuperſtitem horum manſiſſe ſcribit, cum tamen ſeptimeſtrem vitalem dijudicavit. Inde tanti præceptoris auctoritatem uno quaſi impetu omnes alii, tum Philoſophi ac Medici, tum ICti ſecuti, quorum Catalogum contexit ARNISÆVS *de part. legit. term.* §. *m. 81. ſeq.* Et quidem inter ICtos eminent MATH. DE AFFLICTIS, qui integra *Deciſ. 236.* negativam ex Philoſophorum judicio defendit, MASCARDVS *de Probat. Concl. 1089. n. 1.* MENOCH. *Lib. 4. præſumpt. 52. n. 7.* FELTMAN. *de jure in re & ad rem cap. 2. th. 31.* ubi docet: infantem 8vo menſe natum, non juſto partu eſſe editum, & per conſequens teſtamentum non rumpere, &c. Inde & ICti ejusmodi partum pro mortuo & abortivo habent. ZACCH. *l. c. Qu. 4. n. 2. 4.* Et GELLIVS *Lib. 3. Noct. Att.*

c. 15.

c. 15. c. f. memorat: Romæ accurate hoc atque ſollicite quæſitum, negotio rei tunc arduo hoc poſtulante, an octavo menſe, infans ex utero vivus editus & ſtatim mortuus, jus trium liberorum ſuppleviſſet; cum abortio quibusdam non partus videretur menſis octavi intempeſtivitatis. Vid. ÆROD. *L. 2. Pand. Rer. judic. T. 4. c. 2.* Sed horum ſententia hodie exploſa, cum falſum ſit, ejusmodi partum vitalem non eſſe. Si enim ſeptimeſtres dijudicantur vitales, tanquam minus maturi, cur non octimeſtres quoque tales erunt, qui non minus perfecti, & prorſus maturiores illis ipſis ſunt. WEDEL. *in Phyſiol. S. 3. c. 31.* cit. a MVLLERO *de Jur. prægn. c. 3. th. 14.* inprimis cum talis partus magis formatus, atque calore vegetiori præditus ſit, imo propinquior ſit menſi nono & decimo, ex quibus ſequitur, eum non poſſe haberi pro illegitimo; inde & ARISTOTELES *Lib. 7. Hiſt. Animal. c. 4.* & PLINIVS *Lib. 7. Hiſt. Nat. c. 5. pr.* licet hunc partum non vitalem cum HIPPOCRATE dixerint, in Ægypto tamen hunc vivere tradiderunt. Et de Naxiis mulieribus narratur, eas omnes menſe octavo partum edere, inque Italia ejusmodi partus, contra priſcorum opinionem jam ſunt vitales. Sic & Cæſonia, Caji Principis Conjux, octavo menſe matre Veſtilia edita. Imo jam olim teſte PLVTARCHO, POLYBVS, DIOCLES & EMPIRICI, & teſte GELLIO, CÆCILIVS, menſem octavum partui aptum agnoverunt. SALMVTH. *ad* PANCIROLL. *Res memorab. Lib. 2. Tit. 10. p. m. 199.* ZACCH. *Qu. cit.* Hancve partus octomeſtris legitimitatem prolixo Tract. deduxit & defendit BONAVENTVRA *de octimeſtr. partu*, in ſpecie *lib. 9. & 10.*

§. XI. Licet autem in confeſſo ſit, partum octimeſtrem, ut ſeptimeſtrem eſſe imperfectum, & utrumque fœtum a præternaturali ac morbifica cauſa ex utero expelli, & ante deſtinatum tempus in lucem naſci, imo facilius ſeptimeſtrem, quam octimeſtrem vivere, juxta ZACCH. *l. c. n. 31. ſequ.* quamvis hi

partus

partus vix ab invicem diſcerni poſſint, cum fere ſint ejusdem roboris, imo ſœpius ſeptimeſtres pinguiores octimeſtribus deprehendantur, ita ut judicium certum de eo quoad menſem vix proferri poſſit; ALTWEIN. *Diſſ. cit.* §. 47. nihilominus tamen Jura huncce partum legitimum pronuntiant, prout Colleg. Jurid. Helmſtad. an. 1601. & an. 1609. d. 29. Jan. & 11. Aug. reſpondit, ap. HAHN. ad WES. *l. c.* Idem refert CARPZ. *P. 4. C. 27. D. 14. & L. 2. Conſiſtor. T. 13. Def. 226.* Quo facit & Reſp. Scabin. Lipſ. quod idem adduxit *L. 5. Reſp. Jur. Tit. 10. Reſp. 103. n. 15.* RICHTER. *Deciſ. 89.* ESBACH. *in not. ad* CARPZ. *l. c. Def. 14.* ubi ad diſſentientium argumentum præcipuum reſpondet. STRAVCH. *Diſſ. 2. ad Jus Juſtin. Aphor. 2.* STRYK *D. 1. de Jure ſenſuum. c. 1. n. 42. 43.* MVLLER *cit. Diſſ.* l. c. licet WISSENBACH *ad l. 129. D. de V. S.* contrarium ſtatuat, quando aſſerit: poſthumum octimeſtrem, licet vocem emiſerit, pro quaſi non vivo, ſed mortuo edito habendum eſſe, itaque ut neque matri proſit, neque teſtamentum rumpat, aut ſucceſſorem habeat; ſed ipſe potius pro nullo habeatur, tanquam nec fuerit, nec eſſe deſierit. Sed ſententiam hanc refutat ipſa *l. 3. C. de hered. inſtit.* ubi fœtus vivus, licet vocem non emiſerit, illicove deceſſerit, teſtamentum rumpit. Vid. plur. *c. 1.* §. 7. *ſupra.* Apud Ebræos tamen Partus octimeſtris pro abortivo habebatur, qui tamen, ſi 30. diebus vixiſſet, fœtus abortivi nomine non inſigniebatur, ſed ſtabilis, firmus, cæterisque infantibus in nullo deterior habebatur, prout refert MAIMONIDES *l. c.* §. 13. ibi: *Qui menſe octavo naſcitur, is, perfectos crines, unguesque habens, integer infans eſt, atque incolumis, partusque ſeptimeſtris, niſi quod ad hoc usque tempus in utero detentus fuerit, & licitum eſt, eum de loco in locum, die ſabbathi transferre, neque ſimilis eſt lapidi, quem die ſabbathi transferre nefas, & hunc die Sabbathi circumcidunt. Si vero menſe octavo cum capillis tenuibus, unguibusque imperfectis, (prout alias formatio eorum requirit, ut hæc omnia ſint per-*

perfecta) naſcatur, de eo certum, quod partus ſit octimeſtris, quem menſe demum nono naſci oportebat, ſed, antequam in utero perficeretur, eſt excuſſus: propterea talis lapidi æquiparatur, & nefas eſt eum de loco in locum die Sabbathi transferre. Et quanquam hæc ita ſe habeant, tamen hujusmodi infans triginta diebus ſi vivat, ſtabilis firmus eſt, cæterisque infantibus in nullo deterior. Qui enim triginta diebus inter homines moratur, fœtus abortivi nomen non meretur. Add. quæ *in* §. *9. in f. ex* MAIMONIDE, & *in* §. *ſequ. 12.* ex SELDENO notavimus.

§. XII. Sed *quid ſentiendum de Partu Nonimeſtri, num is erit legitimus?* Et Reſp. quod ſic. De eo enim conſtat, eum ſententia omnium prævalere, & eſſe uſitatiſſimum, reputarive pro perfectiſſimo. In hoc namque menſe fœtus bene valet, & viribus ſufficientibus dotatur, temperamentoque calidiore exiſtit, ut plurimum ex utero egreditur, non ſolum quoad nutrimenti quantitatem, & membrorum formationem, & fortitudinem, ſed etiam quoad omnes, quas & ad eſſe, & ad bene eſſe requirit conditiones, abſolutiſſimus. ZACCH. *l. c. Qu. 5. n. 3.* Atque hic eſt terminus naſcendi in homine breviſſimus, licet univerſa temporis naſcendi latitudo ſit a principio menſis noni, ad exactum usque decimum, vel ad principium etiam undecimi. *ibid. n. 7. ſeq.* Inde HIPPOCRATES *de partu ſeptim. & lib. de Carn.* ſcribit: *Novem menſium & 10. dierum partus fit, & vivit, & habet ad hebdomadas numerum exactum.* Et MACROB. *lib. 1. in Somn. Scip. Humano*, ait, *partui frequentiorem uſum novem menſium certo numerorum modulamine natura conſtituit.* Add. GELL. *L. 3. Noct. Att. c. 16.* Indeque Judæi partum, qui 9. menſibus in utero non manſerat, pro abortivo habuerunt, usque dum diem tranſigiſſet trigeſimum. Vid. §. *præc. in f.* Quive eum intra 30. dies occidiſſet, eo nomine minime morte plectebatur. Sequentia enim ex Ebræis conſcripſit SELDEN. *Lib. 4. de Jur. Nat. & Gent. juxt. diſc. Ebræor. cap. 1. p. m. 477. f.*

Parile Jus eſt, ſi quis annis majorem aut minorem recens natum occidat, ſive maſculum ſive fœminam. Cædis nempe hujusmodi nomine morte plectendus eſt, ſi ex animo, ſeu ſponte occidat. Quod ita intelligendum, ut recens natus compleverit menſes ſuos. At vero ſi 9. menſibus in utero matris non manſerit, pro abortivo habendus eſt, usque dum diem tranſegerit trigeſimum. Et qui eum intra dies 30. occiderit, eo nomine minime morte plectendus. Spectant huc verba 4. ESDRÆ. *cap. 5. verſ. 46.* ibi: *Vade, & interroga prægnantem, ſi quando impleverit novem menſes ſuos adhuc poterit matrix ejus retinere partum in ſemetipſa? & dixi, non poteſt Domine.* Item *cap. ult. v. 39.* ibi: *quemadmodum prægnans, cum parit, in nono menſe filium ſuum. &c.* Eundemque terminum Libri Maccabæorum in adhortatione matris proponunt. 2. MACCAB. 7. *v. 28.* Hodie tamen neceſſario non requiritur menſis nonus exactus, ſed ſufficit, ut principio proximus ſit, vel ſec. GELLIVM, ut ſit affectus. ZACCH. *l. c. n. 14. ſeq.* Ita ut ejusmodi partus nonimeſtris quoc. die natus a ICtis in legitimorum numero conſtituatur, prout de eo Anteceſſ. Facult. Jur. ad C. W. Gottingam, d. 12. Jul. an. 1614. reſpondiſſe teſtatur HAHN. *l. c.* & huic ſententiæ omnes ICti calculum ſuum adjiciunt, citati a D. VON DER LINDE *in Diſſ. de Jure Parentum in liberos, circa ingreſſum in Religionem, & vota Monaſtica. cap. 1. §. 5.*

§. XIII. Sed quæſtio hic ſuboritur maxime controverſa; Nimirum: *Si Mulier poſt primi Mariti obitum ſtatim alteri nupſerit, & menſe nono filium pepererit, utrum is cenſeatur a primo vel ſecundo marito conceptus?* Et Reſp. in decidenda hac quæſtione tot opiniones, quot capita inveniri, dum alii eum prioris mariti filium præſumi velint; alii contra pro ſecundo Marito verba faciant; alii propter incertitudinem partum illum, ad utriusque mariti hereditatem admittendum eſſe, exiſtiment; alii ei alterius tantum hereditatem concedendam putent, electione data ipſi, ut ejus ſit, cujus eſſe velit; alii propter tantam dubie-

dubietatem haſce hereditates dividi, & utriusque dimidium huic dari cenſeant; alii denique neutrius eſſe filium exiſtiment & propter incertitudinem ab utriusque hereditate excludi debere ſtatuant. Quorum opiniones fuſius examinat SALMVTH. *ad Panciroll. l. c. p. m. 202. ſeq.* Ex recentioribus tamen P. MVLLER *in D. de Odio ſecund. Nupt. c. 3. th. 3. ſeq.* rationibus in utramque partem adductis, pro filio ex priore matrimonio pronunciat, *in Diſſ.* tamen *de Jure Prægn. c. 7. th. 15.* diſtinguit: ita ut ſi appareant ſigna conceptionis, illa ſequenda ſint, ſin non, ſtandum ſit conſuetudine mulieris, in quanto tempore conſuevit parere, ſin autem id non conſtet, ad Medicorum vel Obſtetricum judicia recurrendum ſit. Sed breviſſimis hic nos expedimus, eumque partum prioris mariti legitimum eſſe dijudicamus, ex ratione, quod partus legitimus cenſeatur, licet poſt obitum patris die 240. 250. 260. vel 270. nono ſcil. menſe, vel ab initio, vel in ejusdem fine fuerit editus, diebus 270. pro novem menſibus computatis. RAVCHBAR. *qu. 24. n. 34.* Quo facit *Conſil. Facult. Theol. Roſtoch. apud* DEDEKENN. *Vol. 3. Conſil. Lib. 4. ſect. 1. n. 7.* ibi: Ob dieſer Partus, der in der 37. Woche, nach gehaltener Hochzeit gezeuget, legitimus ſey, halten wir dafür, es könne ſolches von niemand geläugnet werden, es wäre denn, daß er aller Medicorum und Phyſicorum ſententias, auf welche ſich der ICtorum Meinung gründen, wie zu erſehen, in l. ſeptimo menſe. D. de Stat. Hom. umbzuſtoſſen, und nichtig zu machen, ſich wolte unterſtehen. ALTWEIN *cit. Diſſ.* §. *48.* Et olim jam Scabini Magdeburgenſes ſeptimana 37. natum legitimum pronunciarunt. Sachſen-Spiegel 1. Theil der Urthel der Schöppen zu Magdeburg, *capit. 9. diſt. 4.* ibi: hierauf ſprechen wir für recht, was des Kindes Vater Erbs und Guts hat gelaſſen, das hat er geerbet auf das Kind, nachdem mal das er das Kind für ſein Ehe-Kind hatte, dieweil er lebt, und das

Kind gebohren iſt bey 36. Wochen, das ſoll ihm unſchedlich ſein an ſeinem Rechten.

§. XIV. *De Partu decimeſtri, quid ſtatuendum ſit, jam quæritur?* Et Reſp. Quod Decemviri Rom. legitimum pariendi tempus, non ultra X. lunarium menſium ſpatium extendiderint, quorum Lex in LL. XII. Tabb. ita ſe habet: *Si quis ei in X. menſibus proximis poſthumus natus eſcit* (erit) *juſtus eſto*, (i. e. legitimus.) Tum enim temporis ſpatio X. menſium partus maturitas conſtituebatur, ex quo lugendi conjugis tempus ferè eodem fuit ſpatio concluſum, ut ante X. exactum menſem nubere alteri non licuerit. HOTOMAN. *ad LL. XII. Tabb. p. 422.* Unde OVIDIVS *in Faſtis* ita:

Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis;
Poſt totidem menſes in funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna Domo.

Et hinc vulgaris illa de Poſthumis inſtituendis apud veteres formula: *Qui poſt mortem meam in X. menſibus proximis natus erit. l. Gallus. D. de Lib. & Poſth.* *Et in l. ult. C. de Poſth. hered.* ita legimus: *Si filius vel filia, intra X. menſium ſpatium poſt mortem meam editi fuerint, heredes ſunto.* add. plur. SALMVTH. *l. c. p. m. 209.* Atque hic partus decimeſtris LL. XII. Tabb. erat juſtus, inde ULPIAN. *in l. 3. §. pen. D. de Legit. hered.* poſt decem menſes natum, non debere ad legitimam hereditatem admitti, ſcribit. Et PAVLVS *Lib. 4. ſentent. tit. 9. §. 5.* partum maturiorem videri refert, qui aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe editus. Optime tamen notat GER. NOODT *in Comm. ad Digeſta Juſt. Jur. enucl. Vol. Lib. 1. tit. 6.* quod levis menda *in cit. loco* PAVLI deprehendatur, dum altera vocula *aut*, qua bis utitur, locum mutat. Legit enim: *ut aut ſeptimo aut pleno decimo* menſe partus maturior videatur, pro: *ut aut ſeptimo pleno aut decimo. &c.* Locum quoque PLINII *Lib. 7. Hiſt. Nat. c. 5.*

quando

quando refert: Lucium Papyrium Prætorem tempus hoc longius traxiſſe, & bonorum poſſeſſ. dediſſe ei, quem XIII. menſe mater ediderat, corruptiſſimum dijudicat CVJACIVS *ad Nov. 39.* cum in veteribus Codicibus legi referat, pro XIII. X. menſibus. Sed cum PLINIVS *l. c.* oſtendere voluerit, a prætore aliquid præter vulgarem opinionem inductum fuiſſe, hæc emendatio vix locum habebit. Sed aſſeramus, locum hunc aut eſſe corruptiſſimum, aut menſes XIII. a prætore toleratos fuiſſe, nihilominus BALDVINVS hanc ejus indulgentiam erga mulierem & prolem, non prorſus temere ſuſpectam habuit. Sed quid dicendum de D. Adriano, qui conſultis Philoſophis fœminam pudicam, quæ XI. menſe pepererat, ab ignominia eripuit, & legitimum ejusmodi partum eſſe decrevit? Sed Reſp. Decretum hocce Adriani capiendum eſſe de XI. Menſe non exacto, ſed incepto, neque unquam ICti negarunt, partum ſub initium XI. menſis eſſe legitimum. GRAVIN. *de Orig. Jur. lib. de LL. XII. Tabb. T. 2. c. 30.* AYMAR. RIVALL. *ad LL. XII. Tabb. p. m. 159. ſeq.* Secundum ordinarium igitur naturæ curſum X. menſis completus extremus pariendi eſt tempus. Inde PLAVTVS *in Ciſtellaria* refert: Puellam compreſſam, exacto X. menſe, filiam peperiſſe.

§. XV. Atque hæc Lex Decemviralis adhuc hodie obtinet, cum terminus naſcendi in homine ſit a noni principio, ad exactum usque decimum, vel ad principium etiam undecimi, ita ut ordinarie mares nono, fœminas X. menſe naſci velit ZACCH. *l. c. n. 7. ſeq.* Communis itaque hominibus naſcendi terminus decimus a conceptione eſt menſis, quem exactum & ponit *Liber Sapientiæ c. 7. in pr.* ibi: *In utero matris meæ formatus ſum cum tempore X. menſium.* Huncve partum HIPPOCRATES *l. c.* robuſtiſſimum ſcribit eſſe, adve hunc menſem, ut legitimum, ſe referunt *Poetæ Rom. cit. apud* ARNISÆVM *l. c. §. m. 11.* & ZACCH. *l. c. n. 19.* qui & *n. 21.* cum ſupra laudato VENETTE *l. c.* hunc

 men-

menſem exinde abſolutiſſimum eſſe evincere conatur, quod Salvator noſter Jeſus Chriſtus, ejusve Mater Maria menſe decimo nati ſint, & quidem juxta *cit.* VENETTE, Salvator noſter per tempus 273. dierum, juxta ZACCHIAM vero 275. in utero matris ſuæ manſit; Maria autem per dies 276. ut ita ambo in principio menſis decimi nati fuerint. Cum igitur hic menſis ad extrudendum fœtum ſit aptiſſimus, inde omni Jure etiam pro legitimo ejusmodi partus habetur. Referendum hic, quod de Ariſtone, Lacedæmoniorum Rege ſcripſit HERODOTVS *lib. 6.* cum nunciatum ei eſſet, ante X. menſes exactos, quam uxorem duxerat, eam filiam peperiſſe; juraſſe eum apud Ephoros, non videri eum ex ſe natum eſſe, qui legitimo X. menſium numero non natus erat. Id cum filio Demarato Regi poſtea nocuiſſet; Demaratum poſt damnationem ſacramento dirisque matrem provocaſſe: *An Ariſtone Patre natus eſſet?* matremque reſpondiſſe, ait, Ariſtonem ſtulte feciſſe. Neque enim ſemper mulieres decimo menſe parere, ſed & nono & ſeptimo. Eum certe ſeptimo menſe natum, ſed DEO patre & Heroë Aſtrobaco, a quo dolo & fuco facto ſtuprata ſit. Vid. ÆRODII *L. 2. Rer. judic. tit. 4. c. 1.*

§. XVI. Sequitur *Partus undecimeſtris*, & *num is juſtus ſive legitimus ſit*, quæritur? Et Reſp. quod ſic, hac tamen addita limitatione: modo naſcatur ſub initium XI. menſis, forte primo, vel ſecundo die, vel juxta alios, paucis diebus menſis undecimi exactis. Conf. *von der* LINDE *l. c.* Ob diverſas enim naturæ qualitates, aliquando citius, aliquando ſerius mater parere poteſt; modo certum ſit, defuncto ante mortem ad generandum prorſus inidoneum non fuiſſe; indeque V. Z. *in Introd. in Jus Saxon. L. 1. T. 5. §. 2.* refert: Jure Saxon. liberos poſthumos menſe decimo, & primo aut ſecundo die menſis undecimi natos, pro legitimis haberi, ſic ut terminus a quo ponatur in die octavo ante mariti mortem. Supra 10. tamen dies fœtum vix in utero ſub-

ſiſtere

ſiſtere poſſe, certum eſt, cum naturaliter tantum per 3. dies, ſupra X. menſem partus in utero manere poſſit. ZACCH. *l. c. qu. 6. n. 17.* Refert hinc VENETTE *l. c. p. m. 140. edit. germ.* Parlamentum Pariſienſe partum quendam illegitimum declaraſſe, qui die II. menſis XI. poſt mortem patris ſui editus fuerat. Si igitur vidua primis undecimi menſis diebus partum edat, is omnino pro legitimo defuncti conjugis habendus erit, cum ordinarie hoc tempus in foris ſit receptum, prout Dicaſterium Wittebergenſe notanter reſpondiſſe legimus, apud ALTWEIN *cit. Diſp.* §. *50.* ubi ſimul de ſeptimeſtri, dierumque numero, quot menſi tribuendi ſint, judicium fertur, ibi: Als ihr uns berichtet, daß ein Ehemann, Donnerſtag nach Michaelis, im 85. Jahr ins Land zu Braunſchweig verreiſſet, und den 16. dieſes Jahres wieder anheim kommen, deſſen Weib folgendes den 28. Tag Monats Julii, ein Kind zur Welt bracht, und acht eurem Bericht nach, mit demſelben 43. Wochen, von Zeit an, als der Mann von ihr verreiſſet, ſchwanger gangen, und nun Zweiffel vorfiel, ob ſolche Geburt vor Ehelich zu achten? Demnach ſprechen wir verordnete Dd. vor Recht, dieweil dieſe 43. Wochen von Zeit an, als der Ehemann weggangen, biß auf den 28. Julii, drey Hundert einen Tag, und dieſe hinwieder 10. Monat, und einen Tag, wenn auf jeden Monat 30. Tage, wie dißfals billich geſchiehet, gerechnet, austragen, oder da gleich in dieſem Fall, auf jeden Monat 29. Tage, und 12. Stunden, nach etlicher Meinung, zu rechnen ſeyn ſolten, doch mehr nicht, den 10. Monat, 6. Tage, und etliche wenige Minuten machen, folgends von den 16. Jan. dieſes 86. Jahres, als der Mann wieder anheim kommen, biß auf den 28. Julii, 27. Wochen und 4. Tage ſeynd / und alſo 193. Tage, da der Monats-Lauff 30. Tage, oder wenn auch der Monat, 29. Tage, 12. Stunden austragen, und aber im Rechten verordnet, daß ein Kind in Anfang des eilfften Monden, ſo woll auch im ſiebenden Monat, es ſey im Anfang, Mit-

tel,

tel, oder zu Ende, an ſeinen Ehren nicht mag geſcholten werden, ſondern vor des Mannes recht und Ehelich gebohren Kind zu achten. Derowegen iſt auch gemeldter Ehemann, ſich des Kindes als ein Vater anzunehmen, und daſſelbe vor das ſeine zu erkennen, und zu verſorgen ſchuldig. Refert tamen CARPZOV. *Lib. 2. Conſiſt. D.227.* nonnunquam partum undecimeſtrem tempore intermedio pro legitimo habendum eſſe, ſi nulla mala in vidua extet ſuſpicio. Add. BEVST. *de Matrim. P. 2. c. 36.* qui refert: ſuo tempore Wittebergæ pro vidua honeſta in Conſiſtorio pronunciatum fuiſſe, quæ undecimo menſe poſt mariti obitum filiolam pepererat. Caute tamen in ejusmodi caſibus procedendum erit, cum fœtus vix ſupra 10. dies, menſis X. in utero manere poſſit.

§. XVII. Sed cum hactenus dicta de praxi hodierna vera ſint, dubitare licebit, num idem ſervatum ſit de Jure Juſtin: Nam ULPIAN. *in l. 3. §. 11. D. de ſuis & legit. hered.* partum undecimeſtrem illegitimum pronunciat, ibi: *poſt X. menſes mortis natus, non admittatur ad legitimam Succeſſionem.* Et in *Nov. 39. c. 2.* Imperator hunc partum mirabilem, imo & omnium impiiſſimum vocat, cum impoſſibile eſſe, dicat, ut conceptionis tempus, ex marito defuncto tamdiu extendi poſſit; quare etiam pœnam ſtupri infligit tali mulieri, iisdemque præterea pœnis obnoxiam eſſe vult, quibus illa obſtringitur, quæ intra annum luctus denuo nubit. Vid. *Nov. 22.* Sed recte hæcce CVJACIVS *ad h. Nov.* MENOCH. *de A. J. Q. Cent. 1. qu. 89. n. 51.* aliique intelligunt, de partu ſub finem menſis XI. edito, qui revera illegitimus eſt, juſtum tamen eſſe, ſi ſub initium menſis undecimi poſt mortem viri naſcatur, idque ex decreto Imp. Adriani ſupra laudato, quod refert GELLIVS *L. 3. N. Att. c. 16.* Conf. STEPHAN. *ad Nov. cit. 39.* HAHN. *l. c. p. m. 69. b.* inprimis SALMVTH. *ad* PANCIROLL. *l. c. p. m. 209. ſequ.*

§. XVIII. *Num idem de Partu duodecimeſtri, & ſequ. Menſibus nato, dicendum ſit, quæſtio eſt?* Et Reſp. quod is ordinarie

pro

pro non naturali & illegitimo habeatur, inde duodecimeſtrem partum poſt obitum mariti natum Lipſienſes illegitimum declaraſſe, refert GE. BEAT. *P. 2. c. 6. p. 163.* & quidem hunc in modum: Wann ſolch Kind lebt oder nicht, ſo kan es doch vor eures Bruders-Kind noch Erbe nicht gehalten werden. MVLLER *de Jur. præg. c. 7. th. 18.* qui & refert ex AMMAN. *in Med. Crit. reſp. 44.* Lipſienſ. Facult. Med. partum duodecimeſtrem (und 13. Tage drüber) An. 1638. legitimum pronunciaſſe, ex ratione, quia mulier per trimeſtre ſpatium continuos parturientium dolores, absque virium jactura, pertulerat. IDEM refert ex Diſcurſibus D. JO. ALEX. CHRISTENS, *ſuper* STRAVCHII *Diſſ. Juſtin. Diſſ. XI. th. 37.* Lipſiæ circa finem an. 1679. pro filio judicatum fuiſſe, qui poſt XII. menſem natus erat, ex rationibus: 1) quia fœmina ſtatim poſt mortem mariti dixerat, ſe eſſe gravidam. 2) omnes vicini teſtimonium perhibebant, quod caſte vixerit, neque ulla præſumptio contra ipſam aderat, eam rem & converſationem cum aliis habuiſſe. Fœmina tamen inſuper juramento ſe purgare compulſa fuit, filium a defuncto eſſe marito. Alium partum XII. menſe natum ob notam Matris pudicitiam legitimum pronuntiatum fuiſſe, teſtatur SANDE *Lib. 4. Deciſ. Friſ. T. 8. Def. ult.* Hoc quoque menſe Gracchum editum fuiſſe referunt Hiſtoriæ. WISSENBACH. *diſp. 30. ad Jnſt. th. 50.* Et Principem Condæum XIII. menſibus poſt obitum Patris natum fuiſſe, ex BVISSONIO *in Vita Turennii,* refert ULR. HVBERVS *de Jure Civitat. Lib. 2. ſect. 1. c. 1. n. 15. ſeq.* Apud Pariſienſes quoque arbitrio doctiſſimorum Advocatorum viduam ad bonorum poſſeſſ. admiſſam fuiſſe, quæ XIV. menſe peperiſſet, ex ratione: quod apud defuncti heredes perpetuo vixiſſet, diligenter aſſervata, & nunquam a latere diſcedens eorum uxorum, ipſisque præterea heredibus nihil ejus honori ac pudicitiæ objicientibus, quinimo de ſolenni ac perpetuo ejus luctu ob mariti obitum teſtantibus, refert GOTHOFRED. *ad Nov. 39. c. 2. lit. E.* quod tamen excu-

ſari non poſſe exiſtimat HAHN. *l. c.* & quidem recte. Imo contrarium contra GOTHOFRED. Tholoſæ judicatum fuiſſe, refert MAYNARD. *4. Deciſ. 3. n. 9* VON DER LINDE *l. c.* Venetiis quoque mulierem ſexagenariam ex ſeptuagenario Sene concepiſſe, & menſe XV. puellam peperiſſe, oculis tamen & manibus privatam, & 5. tantum menſibus vitalem, ex MASSA refert SALMVTH. *l. c. p. m. 211.* Idem ex BODINO ſcribit: Actis Curiæ Rothomagenſis inſertum, Mulierem nono cum conaretur eniti, decimo octavo demum peperiſſe, obſtetricum & Medicorum ad hoc fide quæſita. Imo refert ANT. MATTHÆI *c. 1. de probat. n. 56. ex* GASSENDI *lib. 1. de vita Peireſcii*, extitiſſe fœminas, quæ undecim, quatuordecim, octodecim, & quod vix credibile, viginti tres menſes uterum geſtarunt. Sub Henrico V. quoque fœminam per biennium partum in utero geſſiſſe, qui poſtquam editus, mox articulatas voces protulit, refert *Anonymus quidam Medicus* im Hiſtoriſchen Schauplatz allerhand wunderns-würdigen natürl. *Curioſit*äten. Sed omnia hæcce ex anilibus fabulis deſumpta eſſe videntur, nec ullam veri ſpeciem habent, inde hiſce immorari animus non eſt. Nota eſt Relatio hiſtorica, quæ in *Transactionibus Philoſoph. Anglican. de an. 1716. m. April. Majo, & Junio* refertur, iisque ab HOLLINGIO *Med. Doct. Schrewsburienſi* inſerta, de fœmina quadam in provincia Schropshire, ad oppidum Haman habitante, quæ per 20. annos gravida credita fuit, ventre tamen diſſecto, laboraſſe comperta ſpecie hydropis, quæ Aſcites dicitur. Et ejusmodi etiam Judicium de aliis fœminis ultra legitimum tempus uterum geſtantibus, ferendum erit, quarum graviditas omnino Status morboſus erit.

§. XIX. Pauciſſimis adhuc decidere juvabit quæſtionem: *Num Partus Anti-ſeptimeſtris dici poſſit legitimus?* Et Reſp. quod non, cum Jure Civ. partus ſeptimo ſaltim menſe natus ſit legitimus, & ante ſeptimum natus, abortus proprie dicendus ſit, indeque ei comparetur, qui nunquam natus eſt, ita ut etiamſi vivus

vus naſcatur, quia tamen ob ſui omnimodam imperfectionem vivere eum naturaliter impoſſibile eſt, tanquam pro non nato habetur. Hinc PLINIVS *lib. 7. c. 5.* recte negat, hunc partum unquam vitalem eſſe, quamvis CHOPPINVS *Curiæ Pariſ. Advoc. in l. 3. de privil. Ruſtic. c. 8.* referat, SCto Pariſienſi patrem filii heredem pronunciatum, quinto menſe, exſecto ventre matris editi, ac ſpiraſſe viſi. SCHENKIVS pariter *lib. 4. obſ. c. 41.* notavit: Pincernam Regis Galliæ genuiſſe filium quinto menſe. Sed ſit ita, ejusmodi tamen partus vitales ex miraculo ſaltim vivere, certum eſt. Nec obſtant hic illorum opiniones, qui probare volunt, nullum certum pariendi tempus a Natura præſcriptum eſſe, cum Natura partum vel cito, vel tarde pro lubitu producere poſſit, & quidem ex hiſce rationibus: 1) quod temperamenta hominum fere ſint infinita, ita ut illi infantes, qui majorem fovent calorem, multo citius in utero formentur atque naſcantur, ac quidem illi, qui temperamentum humidius inhabitant. 2) Volunt, uxorem, quæ anguſto & minori prædita eſt utero, & alias partui pauca ſubminiſtrare poteſt alimenta, impedire non poſſe, quin partum ſemeſtrem vel ſeptimeſtrem edat, cum e contrario mulier robuſtioris conſtitutionis, cui alimenta ſufficientia non deſunt, partum in X. vel XI. menſem in utero geſtare poſſit. 3) Probant hoc ex natura animalium diverſa, quorum hæc illo, illa alio fœtus ſuos tempore extrudant. Sed hiſce nullo modo ſubſcribunt recentiores, inter quos *cit. Nic.* VENETTE. *l. c. p. m. 135. ſequ.* aſſerens: Uxores licet & infantes variis ac diverſis gaudeant temperamentis, ea tamen nullatenus partum vel remorari, vel promovere, alias enim ſequi, longe aliud tempus naturam vetulæ Hiſpanicæ & virgini Lappicæ, parturientibus, conſtituiſſe, cum tamen uterque circa finem menſis noni ordinarie partum edat. 2) Amplitudinem uteri partum potius promovere, quam retardare. 3) Naturam hominum plane diverſam eſſe a natura brutorum diverſorum, & fœmellas ferarum

eodem modo certum habere pariendi tempus, conſideratis tamen quibuslibet in ſuo genere. &c. Phyſice itaque partus anti-ſeptimeſtris vix vitalis eſſe poteſt. Si tamen caſus contingat, partum ante ſeptimum menſem vitalem edi, legitimus de jure cenſendus erit, cum *in l. 12. D. de St. H.* ſeptimeſtris ſaltim partus pro legitimo habeatur, ex Judicio tamen Hippocratis, cujus ſententia neque LLatores, neque Medicos hodiernos ſtringit, inde & partus anti-ſeptimeſtres legitimos pronunciatos legimus, apud STRYK. *in Uſ. mod. D. tit. de Stat. hom.* §. *14.* Inque dubio ejusmodi partus pro legitimato cenſendus. Parentes tamen hoc caſu a præſumtione anticipati concubitus vix erunt immunes.

§. XX. Alia tamen eſt quæſtio juris circa partum anti-ſeptimeſtrem, nimirum: *num ejusmodi fœtus præcox, qui patrem habet ipſum maritum, ab eo atque aliis jure pro legitimo habendus ſit?* Et Reſp. quod ſic, licet primo & ſecundo Menſe, imo altero die poſt nuptias natus ſit, *l. 11. C. de Nat. lib.* ita ut ipſis Nativitatis macula nullo modo objici poſſit. Sufficit enim, quod tempore partus verum adfuerit matrimonium, cum per ſubſequens matrimonium ejusmodi partus legitimetur, quamvis etiam ante Nuptias editus fuerit. Aliud tamen obtinet, ſi nova uxor cum alio ante matrimonium concubuerit, & maritus partum illum non ſuum, ſed ſpurium declaret; hoc enim caſu abſurdiſſimum eſſet, marito partum alienum obtrudere velle, ut eum pro ſuo agnoſcat. Sed legitimus tantum eſt partus priori caſu, licet etiam primo poſt conſummatas nuptias momento editus fuerit, imo licet ante eas natus. Per ſubſequens enim matrimonium legitimatur, quamvis Parentes propter anticipatum concubitum pœna ſec. diverſitatem locorum & circumſtantiarum merito afficiantur, quæ tamen nil nocet legitimitati partus, utpote, qui eo tempore natus, quo legitimum adfuit matrimonium.

§. XXI. Sed cum libertas partus extra matrimonium a libertate matris pendeat, vid. *l. 7. C. de R. V.* & *l. ult. C. de liber.*

cauſ.

cauſ. inde quæritur : *Quo tempore matrem oporteat eſſe liberam, ut partus Libertatem conſequatur, an conjunctim conceptionis, geſtationis, & editionis tempore; an vero ſufficiat, eam uno horum trium temporum talem fuiſſe?* Et Reſp. Jure veteri quondam LLatores ad tempus ſaltim partus reſpexiſſe, ita ut partus mulieris, quæ ut ancilla conceperit, & manumiſſa pepererit, eſſet liber; e contrario, ſi libera conceperit, & ancilla partum ediderit, filius ſervus prodiret. CAJVS *lib. 1. Inſt. tit. 4. in f.* PAVLVS *lib. 2. ſent. tit. 24. l. 9. ad Municip.* Poſtmodum tamen favore libertatis & ingenuitatis, contra Juris regulas placuit, ut non amplius tempus Nativitatis attenderetur, ſed unum ex tribus iſtis temporibus, quo mater vel partum concepit, vel geſtavit, vel peperit. FRANTZK. *ad tit. D. de Stat. Hom. n. 29. 30.* Quod enim tempus partui utilius, id ſufficit. Inde ſi libera conceperit, deinde Mater ancilla facta, pariat, placuit eum, qui naſcitur, liberum naſci; & e contrario ſi ſerva conceperit, partus tamen liber naſcitur, ſi libera fuit mater eo tempore, quo partus naſcitur. *pr. J. de Ingen.* juxta quam etiam Sententiam IMP. ANTONIVS *in l. 4. C. de Pœn.* reſcripſit. Hinc quoque, ſi ei, quæ ex juſtis Nuptiis concepit, aqua & igni interdictum eſt, civis nihilominus Rom. naſcitur, ſec. ULPIAN. *in l. 18. D. de St. H.* Imo ſi ancilla prægnans manumiſſa ſit, deinde ancilla facta iterum pepererit, partus tamen liber naſcitur, cum calamitas matris non debeat nocere ei, qui eſt in utero. Peculiaris tamen eſt ratio in partu mulieris majoris annis XX. quæ ſe venire paſſa eſt, quippe cui denegatur licentia proclamandi ad libertatem, licet in matris ingenuitate conceptus fuerit. *l. 3. D. quib. ad libert. proclam. non lic.* idque in odium matris, quæ pretii cauſa ſemet ſervituti mancipavit. HOTOMAN. *Lib. 4. Obſ. 12.*

§. XXII. Porro inquirere juvabit: *Num ii, qui exſecto ventre editi, eodem, cum liberis legitimo tempore natis, jure fruantur?* Et Reſp. quod ſic. Intelligimus vero hic per fœtum exſectum,

 qui

qui ex prægnante muliere, viva, vel mortua, per ventris ſectionem, vivus vel mortuus eximitur, quem partum Medici Cæſareum vocant, & fœtus ſic extractos, Cæſones. Conf. *cap. 1. §. 16.* Quamvis enim ejusmodi Cæſones proprie nati haud vocari posſint, juxta *l. 132. §. 1. D. de V. S.* attamen mulier, quæ exciſo ventre partum edidit, filium habere creditur, ſec. ULPIAN. *in l. 141. eod.* Inde & *idem in l. 12. D. de Lib. & Poſth.* eundem rumpere teſtamentum, & natum eſſe accipiendum ſcribit, & admitti ad legitimam matris hereditatem. *l. 1. §. 5. D. ad SCtm. Tertyll.* & ſi qua prægnans deceſſerit, & utero exſecto partus ſit editus, partum iſtum in ea eſſe conditione, ut matris ſuæ bonorum poſſesſionem accipere poſſit. *l.* 1. *§. 9. D. unde cognati.* imo eum, qui poſt teſtamentum matris factum exſecto ventre extractus eſt, querelam inofficioſi inſtituere poſſe, vult ULPIAN. *in l. 6. pr. D. de inoff. Teſt.* WILDVOGEL. *D. de Jur. Embryon. c. 3. th. 12.* modo fœtus vivus extrahatur, cum alias mortuus pro non nato habeatur. Quando vero ejusmodi exſectus pro vitali habeatur, ZACCHIAS *l. c. Lib. 9. Tit. 2. qu. un.* conſuli poteſt.

§. XXIII. Sed quæritur: *Num Partus abortivus jure liberorum legitime natorum gaudeat, ita ut teſtamentum factum rumpat?* Et Reſp. diſtinguendum hic eſſe inter abortum lato modo, & ſtrictius ſumtum. Si de abortu in ſenſu lato accepto, quæſtio eſt: Affirm. Ejusmodi enim abortus omnis dicitur partus, vel ſeptimeſtris, vel octimeſtris, vel nonimeſtris, qui ante deſtinatum tempus legitimum editur, uti ex ſupra dictis conſtat; nihilominus ejusmodi partus Juribus legitimorum liberorum fruuntur, juxta hactenus deducta. Negatur tamen quæſtio, ſi abortus in ſenſu ſtrictiori, ſeu proprio accipiatur, qualis dicitur omnis fœtus intempeſtive editus, vel mortuus, vel nullo modo vitalis, in primis ſi partus a cauſa præternaturali, aut externa per vim ejectus, nulloque modo vitalis ſit. Inde ICtus PAVLVS *lib. 4. recept. ſentent. tit. 9.* abortum partum efficere negat; & mulier abortum faci-

faciens, peperiſſe dici nequit. Quapropter *in l. 3. C. de Poſth. hered. inſtit.* ut teſtamentum rumpatur, requiritur: ut vivus ad orbem totus proceſſerit partus, quod de partu hujusmodi abortivo dici nequit, cum ii habeantur, ac ſi non nati, vel nati mortui eſſent; nam non naſci, & natum mori, paria ſunt. *l. 129. D. de V. S.* Abortus autem teſtamentum non ſolvit, juxta *l. 2. C. d. t.*

§. XXIV. Sed *num Partus a majore quinquagenaria editus ſit legitimus*, inquiritur? Et Reſp. quod ſic. Dubitabatur equidem olim de legitimitate ejusmodi partus, numve patri ſuo ſuccedere, ejusve hereditatem nanciſci poſſet; ſed dubium hocce Imper. in *l. 12. C. de legit. hered.* affirmative decidit, ex hac ratione: quod licet mirabilis hujusmodi partus inveniatur, & raro contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter a natura naſcuntur, eſſe producta, reſpui, ita ut omne Jus Succeſſionis ejusmodi liberis immutilatum ſervari debeat.

§. XXV. Cum igitur ex partus immaturitate magnum præjudicium dependeat, cum partus imperfectus & immaturus, quia vivere nequit, vel pro mortuo nato, vel pro plane non nato habeatur, ideoque nec ipſi Jura Succeſſionis tribuantur, nec teſtamenta rumpere poſſit, & quæ ſunt reliqua, inde hæcce immaturitas partus, non niſi per ocularem inſpectionem decidi poteſt, quæ tum Medicis, tum Obſtetricibus committitur, ut pote qui ex habitudine corporis partus, vel ex accidentibus, de ejusdem perfectione, maturitate, vel immaturitate, judicium ferre poterunt. STRYK. *de Jur. Senſuum. D. 1. c. 1. n. 40.* RANGER *in D. de Oculari Inſpectione c. 3. n. 37. ſequ. hab. Regiom. 1685.* Quæ vero ſint Signa partus vitalis, quoad ea adeundus ZACCH. *l. c. L. 1. T. 2. Qu. 7.* inde hiſce immorari non lubet. Illud ſaltim hic notamus, quod de *Jure Juſtin.* non requiratur, ut vox partus exaudiatur, quo de ejus vita conſtare poſſit, ſed ſufficiat, partum cum ſpiritu editum fuiſſe, vivumque ad orbem proceſſiſſe, licet illico, poſtquam in terram cecidit, in manibus obſtetricis deceſſerit. *l. 3. C. de*

poſth.

*poſth.her.inſt.*de qua tamen materia pluribus conferri poteſt §.7.*c.1.*

§. XXVI. Sed jam ad alia, ubi mox in diſquiſitionem venit: *Quot uno partu Fœtus naſci poſſint?* Ad quam Reſp. Gemellos edi poſſe, eosve ſœpius ſuperſtites manere, idque non raro evenire, extra omne dubium eſſe. Tempus enim partus Geminorum, varium eſt, pro varietate temporis conceptionis, inde uno eodemque tempore concepti, eodem etiam tempore naſcuntur. Tergeminorum tamen exempla magis ſunt rara, & ſi quæ adſint, experientia docet, eos vitales vix edi poſſe, cum ii regulariter immaturi, & monſtroſis ſæpe membris edantur, ita ut geminatio partus in homine quid præter naturam ſit; licet negandum non ſit, & olim Tergeminos natos fuiſſe, & adhuc hodie naſci. Sic Trigeminos Senatores Horatios cinctos viſos, ſcribit PAVLVS *in l. 3. D. ſi pars hered. pet.* add. LIVIVS *Lib. 1. Dec. 1.* quæ verba PAVLI, WISSENBACHIO *ad h. l.* non arrident, ſed ea mendis referta eſſe, propugnat, cum alii ita emendent: *Sed & trigeminos Servatores cuncti vidimus Horatios.* Alii ita: *Sed & trigeminos Senatores Quintilios vidimus.* Denique alii hoc modo: *Sed & Trigeminos Senatores Cincios vidimus.* Imo vocem *Horatios* incuria librariorum irrepſiſſe, vult WISSENBACH. *l. c.* Sed Reſp. HVBER. *in prælect. ad d. t. n. 3.* BVDÆVM, ad emendationes alias facilem, in his verbis nihil deſiderare, niſi quod liber Florentinus pridem edocuit, cum BVDÆI tempore vulgata habuerit *tresgeminos*, pro *ter-* vel *tregeminos*, ut Florentiæ eſt, item, *cunctos*, pro, *cinctos*. De Horatiis nihil mutare BVDÆVM, licet credat, alios fuiſſe, quam propugnatores Imperii Rom. tergeminos fratres, de quibus LIVIVS *l. c.* GOTHOFREDO quoque *in not. ad d. l.* cum CVJACIO verbum, *cincti*, diſplicet, & *Cincios Senatores* explicat, a quibus Cincia locus, ubi Cinciorum monumentum fuit, teſte FESTO, maleque epitheton, *cincti*, Horatio Senatori convenire autumat, cum milites non Senatores cincti dicantur. Sed & hanc ſententiam refutat HVBER. *l. c.*

obji-

objiciendo locum PLINII *Lib. 7. Epiſt. ad Ruf.* ibi : *Sunt in caſtris, ſicut in literis, plures cultu pagano, quos cinctos & armatos invenies.* Imo PAVLO, ut de re notiſſima loquenti, credendum eſſe, qui poſtquam peregrina dedit exempla, domeſticum poſt adfert. Non tamen refragatur, ut cum aliis, pro voce, *Senatores*, vox, *Servatores* ſubſtituatur : Nobis tamen ſufficit, olim tergeminos natos fuiſſe. Caſus interim recentiores Tergeminorum in Civitate Halenſi, refert D. STRYK. *in Uſ. mod. D. ad tit. Si pars hered. pet.* §. *3.* Plurium fœtuum uno partu editorum mentio injicitur *in d. l. 3.* quando PAVLVS ſcribit : Non leves auctores tradidiſſe, 4. puellas a matrefam. natas eſſe, & quinquies quaternos aliquam Peloponneſi enixam, multas Ægypti uno utero ſeptenos. &c. Imo in *l. 36. D. de ſolut.* autoritate ARISTOTELIS *in lib. 7. H. An. c. 4.* Etiam 5. naſci poſſe, dicitur, ex ratione: quia vulvæ mulierum totidem receptacula habere poſſunt, adjiciens ſequens exemplum : *Et eſſe mulierem Romæ Alexandrinam, ab Ægypto, quæ quinque ſimul peperit, & tum habebat incolumes, & hoc in Ægypto adſirmatum eſt mihi*, inquit JVLIANVS *in d. l.* GAJVS quoque, in *l. 7. D. de Reb. dub.* refert : quod ſua ætate Serapias, Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta ſit cum 5. liberis, quos uno fœtu enixa ſit ; adjicit tamen : fere portentoſum videri, quod ultra tres naſcitur.

§. XXVII. Exiſtimat autem JVLIANVS *in d. l. 36.* cum ARISTOTELE : 1) *plures quam 5. fœtus uno partu edi non poſſe :* 2) *rationem hujus eſſe : quod vulvæ mulierum totidem receptacula habeant.* Quod ad primum attinet, negatur : 5. tantum partus uno tempore naſci poſſe ; Peloponneſi enim 7. editos fuiſſe, asſeruit *cit. l. 3. Si pars her. pet.* quod & de Ægyptiacis mulieribus laudat ARISTOT. *L. 7. de Gener. animal. c. 4.* & JOVBERTVS *Lib. 3. Error. pop. c. 1.* multis probare ſtudet, novem uno partu, & vitales & robuſtos naſci poſſe, ubi nonnullas ejus rei experientias, & hiſtorias adducit. PLIN. *L. 7. c. 11.* ſcribit : Extare in mo-

numentis Medicorum, uno abortu 12. puerperia ejecta fuiſſe. Et Albertus refert, mulierem quandam in Germania conſignatis, conſervatisque jam in utero duorum & viginti infantum corpuſculis, aborſum feciſſe; aliam vero 70.; aliam ejeciſſe in pelvim embryunculorum auricularis digiti magnitudine, corpuſcula 150. referente ex RHODIGIN. *4. Lect. 23.* GOTHOFREDO *in not. ad d. l. 3.* In Germania quoque uxorem quandam 12. vicibus ſemper 5. fœtus ejeciſſe, refert ROSSET in ſeinen Trauer-Geſchichten, qui & memorat: Temporibus Caroli, Archiducis Auſtriæ, uxorem Græcii (zu Grätz) uno partu 7. fœtus edidiſſe. Agrigenti, in Sicilia, uxor quædam, nomine Pancica, dum puerpera 30. vicibus facta, 73. liberos procreaſſe. Meſſinæ quoque an. 1430. uxor 20. æt. ann. 9. partus una vice edidit, prout refert *cit.* ROSSET. Anno demum 1716. circa illius finem Ipræ, Flandriæ Civitati, fœminam 5. peperiſſe infantes, quorum 3. maſculini, 2. vero fœminini Sexus fuere, teſtatæ ſunt *Relationes publicæ*, qui ſimul in templo D. Jacobi baptizati, atque ſuperſtites manſerunt. Omnium vero celeberrimum eſt illud Margarithæ, Hennenbergiæ Comitis Hermanni uxoris puerperium, cum ea una parturitione 365. liberos vivos eniteretur, quod accidit ſub Henrico Imper. Cujus memorandi portenti Hiſtoria Lausduni, in templo hujus pagi Hollandici extat, quam hic conſcribere juvabit, prout eam refert HEGENITIVS *in Itin. Friſ. Holland. p. m. 141. ſeq.* ibi:

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum,
Quale nec a Mundi conditione datum.

Margarita Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilielmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu gubernatoris Imperii atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror. Cujus Patruus, Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autem filius, Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ &c. Hæc autem illuſtriſſima Comitiſſa, annos quadraginta circiter nata, ipſo

die

die Paraſceves, nonam circiter horam, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, trecentos & ſexaginta quinque enixa eſt pueros, qui prius a Guidone ſuffraganeo Trajectenſi omnes in duabus ex ære pelvibus baptiſati ſunt, quorum maſculi, quotquot erant, Joannes, Puellæ autem omnes Eliſabethæ, vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum matre uno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lausdunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe rejecit, unde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipſi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita factum eſt, ſicut in hac tabula, in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis tam manuſcriptis, quam typis excuſis Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille termaximus hac de re ſuſpiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in ſempiterna Secula, Amen.

Hæc lege, mox animo ſtupefactus Lector abibis.

Pelves hic quoque ex ære pendent, cum hac inſcriptione: *In deſe twee Beckens ſyn alle deſe Kinderen ghedoopt.* Licet HARSDOERFFERVS im groſſen Schauplatz Luſt-und Lehrreicher Geſchichte, id potius Commentum otioſorum Monachorum eſſe velit. Refert quoque AVENTINVS *lib. 7. Annal.* ſub Friderico II. Imp. mulierem mille quingentos ac quatuordecim fœtus enixam eſſe, quæ hiſtoria eodem niti videtur fundamento fabuloſo, ac hiſtoria præcedens. Sufficit nobis, plures quam 5. fœtus uno partu edi poſſe, licet ſuperſtites vix manere poſſint. Præter duos enim fœtus vitales vix edi poſſe, experientia teſtatur, hincque numeroſior ſoboles non attendenda, quia ea monſtroſa, neque locus, neque alimentum tot fœtibus ſufficiens eſſe poſſit in utero materno. Conf. PAREVS *lib. 23. c. 52.* Sed *quomodo*

 modo

modo Conceptio multiplex ſiat, quæritur? Et Reſp. hoc modo: ſi ſemen in uteri cavitatem perveniens, ejusque acetabulis, capitibus nimirum venarum adhærens, in plures partes ſcindatur, pluribusque locis ſeſe inſinuaverit, ex quo plures emanant conceptus. Si enim ſemen non illico locis pluribus adhæſerit, tunc ſubito, nullo interjecto tempore ſemen diffluit, & ab utero foras exit. Inde hæc multiplex conceptio a Superfœtatione differt, cum illa ex uno eodemque coitu eveniat; hæc vero ex eodem ſemine fieri nequeat, ſed novus coitus, novumque ſemen requiratur, ut alius inſuper fœtus concipi poſſit. ZACCH. *l. c. L. 1. T. 3. qu. 4. n. 8. ſeq.*

§. XXVIII. Rationem quod concernit *d. l. 36. de ſolut.* quinque ſcil. naſci ſaltim poſſe liberos, quod vulvæ mulierum tot receptacula habere poſſint, ea falſiſſima eſt. De ea ita GELLIVS *L. 10. N. A. c. 2. Porro ſuperficies fundi uteri, ſinus eſt ſemen genitale ſuſcipiens, fœtumque continens, quem, ut apparet, non unum putant ICti, ſed quinario eum numero finiunt.* Magis tamen illi peccant, qui 7. matricis cellas connumerant, quarum 3. in dextra uteri ſede maribus ſuſcipiendis, aptas credunt, tres iterum in ſiniſtra parte, fœminis; ſeptimam autem in medio prorſus utero ſtatuunt, quam hermaphroditis dicant, ac tribuunt. RHODIGIN. *L. 4. Lect. 23.* Quæ cauſa tamen ex Anatomicis experimentis falſa ac commentitia eſſe, liquet, cum unica tantum in fundo uteri ſit cavitas. VERHEGEN *in Anatom. ſua. Lib. 1. Tr. 2. c. 25.* ZACCHIAS *l. c. T. 2. Qu. 8. ibique n. 15. copioſe citati.* BRODÆVS *in Miſcell. Lib. 10. c. 7. ext. in Tom. IV. Jan. Gruteri Theſaur. Crit.* licet ZACCH. *l. c.* referat: partem dextram a ſiniſtra per craſſiuſculam quandam lineam ſeparari.

§. XXIX. Sed cum antiqui, uti loquitur PAVLVS *in l. 3. D. ſi pars hered. pet.* ventri ita proſpexerint, ut in tempus naſcendi omnia ei jura integra reſervaverint; incertum vero ſit, quot uno partu fœtus edi poſſint, inde quæſtio orta: *Quanta partui futu-*

futuro ſit reſervanda portio? Et Reſp. PAVLVS *in d. l. 3.* quod ICti hic medietatem quandam ſecuti ſint, ita ut tres portiones partui reſervaverint, cum trigemini naſci poſſint, & ita quartam partem filio ſuperſtiti aſſignaverint; licet & ſi unum paritura ſit, non ex parte dimidia, ſed ex quarta interim heres ſit. Idem confirmat PAVLVS *in l. 28. §. f. D. de Judic.* & JVLIAN. *in l. 36. D. de ſolut.* Si igitur pauciores fuerint nati, reſiduum accreſcit, ſin plures, quam tres, de ea parte tantum, quantum ultra natis competit, decreſcit. *l. 4. ſi pars hered. pet.* Si itaque 5. ex poſtfacto editi, ſuperſtes ſextam partem accipit. *d. l. 36.* Si unus, dimidiam. *l. 30. §. 6. D. de acquir. vel omitt. hered.* Obſtare equidem hiſce videtur *l. 1. §. f. ſi pars her. pet.* ubi incerta pars vindicari dicitur, quarta ergo pars interim non erit aſſignanda. Sed Reſp. *d. l. 1.* procedere in extraneis, *d. l. 3.* vero in ſuis. WISSENBACH. *ad d. t. Diſp. 17. n. 25.* add. STRUV. *Synt. Jur. Ex. 10. §. 74.* ut & *Evolut. controv. ad d. l. Alph. a* CARANZA quoque *in Tr. de Part. nat. & legit. c. 18. n. 16.* hæc PAVLI ſententia diſplicet, atque ſufficere putat, ſi dimidia pars ſuperſtiti aſſignetur, altera dimidia naſcituro, cum certo certius ſit, frequentius reperiri mulieres uniparas, & rariſſime tergeminos eodem partu edi; LLatores autem non obſervare id, quod ſemel aut bis exiſtit, & raro fit, ſed ad id reſpicere, quod fit plerumque. *l. 3. D. de Leg. l. 64. D. de R. J. Novell. 94. c. 2.* Neque PAVLVM *in c. l. 3.* mediocritatem obſervare cum ZACCH. *l. c. L. 1. T. 2. Qu. 8. n. 10.* aſſerit, cum nimis excedat id, quod plurimum fieri contingat, ſatisque mediocritas ſervata videatur, ſi ICtus geminos naſci poſſe, ſanciviſſet, & jam natum ex tertia parte heredem feciſſet. Sed PAVLVM *in d. l.* ſi Lex bene inſpiciatur, medietatem obſervaſſe, exinde conſtat, quod cum exempla retulit quinque imo ſeptem fœtuum, non aliter potuit, quam ut 3. portiones in ſuſpenſo eſſe voluerit, cum non adeo rarum ſit, tergeminos naſci. Neque quid ad rem faciunt LL. pro ſententia ſua a CARANZA allegatæ,

quæ tum pro ICto PAVLO militant, tum ei non contrariantur, quas refutat D. WILDVOGEL *in D. de Jur. Gemillorum. c. 2. th. 15.*

§. XXX. Praxin hodiernam quod concernit, deciſionem de tribus portionibus partui reſervandis adhuc in praxi obtinere, refert D. STRYKE *in Uſ. mod. D. tit. ſi pars hered. pet.* §. 2. Exiſtimat tamen GROENWEG. *de LL. abrog. ad l. 28.* §. *ult. D. de Judic.* ob raritatem hujus caſus, ſuperſtiti filio dimidiam interim concedendam, & partui alteram reſervandam eſſe, quem ſequitur *Cyprian. Regnerus* AB OOSTERGA *in Cenſura Belgica ad d. l. 28.* & id quidem ob raritatem, cum in hisce regionibus raro gemini, rarius trigemini naſcantur, Quod etiam Gallorum moribus receptum teſtatur AVTVMNVS *in ſua Cenſura ad d. l. 28.* Sed reſp. D. STRYK. *l. c.* eandem olim fuiſſe raritatem partus liberorum trium, ac hodie; nihilominus tamen legem ita ſcriptam eſſe, cum LL. & caſus rariores attendant, potiſſimum ſi a natura fiant, quæ facto hominis mutari nequeunt. Inde refert exemplum e Civitate Stralſundenſi petitum, ubi an. 1672. die 1. Jan. usque ad Feſtum Paſchatos trina vice hic caſus contigit, quod tres fœtus vivi uno partu editi fuerint. Imo in pago quodam ad hanc civitatem pertinente, ſuo adhuc tempore, ſuperſtitem fuiſſe fœminam, refert, quæ bina vice tres uno partu liberos edidit. Legem ergo hanc ad abrogatas non referendam judicat, inprimis cum levi incommodo filius afficiatur, quod tantillum temporis, donec partus edatur, expectare teneatur. Neque extra facti contigentiam illud exiſtimat, quod dicitur *in l. 4. ſi pars her. pet.* portionem ſcil. reliquorum, ſi plures, quam tres nati fuerint, decreſcere, quod exemplo illuſtrat atque comprobat D. STRYK. *l. c.* add. BRVNNEM. *ad d. l. 3.* inprimis, cum ipſe GROENWEG. *l. c.* addat: ſatius eſſe atque humanius, in tempus naſcendi omnia Jura integra reſervari, atque interim ventri Curatorem dari.

§. XXXI. Hactenus itaque verba fecimus de multiplici fœtu uno partu edito, ſive, de uno eodemque tempore conceptis,

eodem

eodem etiam tempore natis, jamjam quæritur: *Num partu jam edito, ſucceſſive plures adhuc fœtus, diverſa poſt tempora edi poſſint?* Et Reſp. quod ſic, idque ex ſuperfœtatione. Caſus, ubi hæc quæſtio ICtis neceſſaria videri poſſit, deprehenditur in materia ſecundarum nuptiarum. Vidua enim de Jure prohibetur intra annum luctus ad ſecundas convolare nuptias. Si quæris hujus Conſtitutionis rationem? ſane turbatio Sanguinis objicitur, quæ metuenda eſſet, ſi ſecundus Maritus, cum vidua prægnante relicta concumberet, cum facilius ſuperfœtatio ex concubitu inſequi poſſet. Primaria igitur hujus prohibitionis ratio videtur eſſe non ſanguinis turbatio, ſed ſuperfœtatio, quæ nihil aliud eſt, quam conceptio ſupra conceptionem facta, cum ſuperfœtatio fiat, quando mulier, quæ jam concepit, & gravida eſt, ex novo coitu, novoque ſemine, alium inſuper fœtum concipit. Hancve Superfœtationem adſtruit *l.30. §. 6. D. de acquir. vel omitt. hered.* ubi ULPIANVS dicit: non quidem licere ei, quæ in utero habet, pro humanæ naturæ conditione, alium fœtum ſupra priorem formare, illud tamen in aliquibus poſt certum tempus prioris conceptionis evenire, conf. plur. ZACCH. *l. c. L.1. T.3. Qu. 4. n.4. ſequ.* Eadem Superfœtatio exemplo probatur a PAVLO *in l. 3. D. ſi pars hered. pet.* hancque pene omnes auctores admittunt, quos cit. habet ZACCH. *l. c. Qu. 3. n.12.* add. NIC. VENETTE *l. c. p. m. 131.* Multi equidem negarunt, exinde ſuperfœtationem, quod uterus concepto ſemine illico ita arctetur & claudatur, tamque arcte amplexetur, ut vacuus in ejus cavitate locus nullus maneat; imo quod os interius ipſius uteri adeo comprimatur, ut ne ſpecilli quidem tenuiſſimi mucronem admittat. Sed Reſp. illud licet verum asſeramus, ſi tamen mulier coitu utens, ex eo ſummam percipiat delectationem, uterus ingenti illa voluptate irretitus quaſi obviam irruenti ſemini, non minus ac in priori conceptu antea fecerat, hiante ſeſe offert ore, ut ea qua flagrat virilis ſeminis avi-

ditate, ſeſe expleat; atque ratione ejus corpus quatenus per longum arctari, & per latum dilatari poteſt, irruenti ſemini locum aliquem præbere. ZACCH. *d. l. n. 13. ſeq.* ubi ex rationibus hanc ſuperfœtationem adſtruit.

§. XXXII. Hæc igitur ſuperfœtatio cum & LL. & auctoritate tot Scriptorum comprobetur, jam quæritur: *Intra quot temporis ſpatium, priorem poſt conceptionem ſuperfœtatio contingere poſſit?* Et Reſp. *in l. 30. §. 6. D. de A. vel O. Hered.* nullum tempus Superfœtationi præfixum eſſe, ſed generaliter dici, *poſt certum tempus* evenire poſſe. Ex *l. 3.* tamen *D. ſi pars hered. pet.* terminus ſuperfœtationis videtur eſſe 40. dierum, quem terminum & communiſſimum plurimi volunt; quamvis alii ad 60. etiam dies hunc terminum extendi velint, quam tamen ſuperfœtationem alii portentoſam judicant. Ratio termini 40. dierum habetur hæc: quod in hoc ſpatio fœtus vix integre adhuc delineatus ſit, & cum admodum puſillus ſit, non multum locum in utero occupet. Qui vero intra terminum 60. dierum ſuperfœtationem contingere exiſtimant, in ea ſunt ſententia: quod plerique conceptus, non niſi tanto tempore perfecte formati exiſtant. Sufficit tamen nobis ſtatuiſſe, quoc. prioris conceptionis tempore ſuperfœtationem fieri poſſe. ZACCH. *l. c. Qu. 4. n. 17. ſeq.* Superfœtationis ſignum vero illud eſſe vult LVD. BONACIOLVS *in Tr. de format. part. hum. c. 2.* Si ſcil. hæcce ſeminalia recrementa inter 7. horarum ſpatium e vulva fœminæ non effluant. Et *c. 5.* notat: quod, ſi Superfœtatio diu poſt primam conceptionem contingat, illa in cauſa ſit, ut cum ultimo & prior partus maximis doloribus perdatur. Si autem illa mox poſt primam Conceptionem eveniat, plerumque uterque partus in vivis maneat, geminique edantur.

§. XXXIII. Sed nunc jam Exemplis illuſtrare juvabit hanc Superfœtationis materiam, ex quibus tamen notabiliora quædam ſaltim in medium proferre juvabit. PLINIVS *L. 7. Hiſt. Nat. c. 11.* ſcri-

ſcribit: Fœminam quandam unum juſto partu, alterum 5. menſium edidiſſe. Aliam unum filium pulchrum, qui aſſimilabatur viro ſuo, & paucos poſt dies, unum turpem, amaſio ſimillimum, peperiſſe. Temporibus Papæ Hadriani, mulier Romæ quatuor una vice ſuſcepit liberos, quos partus inſecutus die 40. poſt primum partum, quintus, juxta *l. 3. D. ſi pars hered. pet.* JOVBERT *de error. popul. L. 3. c. 1.* Referente P. PAVLO PEREDE, uxor Dom. Galliartii, Præſidis Cancellariæ Valentinenſis, quarto poſt obitum mariti menſe, partum edidit maſculinum, quem poſt quinque menſium intervallum, ſecundus ſecutus. PAREVS *L. 24. c. 3.* mentionem injicit uxoris cujusdam Provinciæ Andegavenſis, habitante in urbe Beaufort, filiæ Marci Cannerii, quæ 10. poſt primum partum edidit. Uxor quoque Zacch. de Scarpoira, tertio, poſt primum ſuſceptum filium, menſe, alterum edidit filium. NICOLAVS *in 6. Diſcurſ. tr. 1. c. 22.* Memorabilem, variis additis circumſtantiis, hiſtoriam refert WOLFF. *L. 2. memorab. p. 988.* de vidua nobili, civitatis Hirſchhorniæ, in Palatinatu ſitæ, uxore Philippi Ludovici ab Hirſchhorn, quæ marito mortuo an. 1584. gravida relicta, ita ut non longe poſt filium ediderit mortuum ac imperfectum, inde heredes mox hereditati ſeſe immiſcuere, eamve adiere. Sed puerperio vix derelicto, jam corpus denuo extumeſcebat, illius cauſam ignorans, juſſu medicorum thermas quasdam viſitabat Rhenanas, vix vero locum deſtinatum, ubi tum temporis Elector Saxoniæ, una cum Conjuge, aliisve Principibus degebat, vidua nobilis attigerat, cum & denuo filium, decima poſt primum partum ſeptimana, ederet, ita ut priores heredes hereditatem reddere coacti fuerint. Singulare quoque tradit exemplum BAVHINVS, de uxore quadam pagi Ballickheimii prope Baſileam ſiti, quæ ſecundo juncta marito Michaeli Vogeln, prætori dicti pagi, gravida facta anno ætatis 50. annoque 30. conjugii, partumve edidit, filiam nimirum, poſt 15. dies denatam. Puerperio itaque exacto,

poſt

poſt 5. ſeptimanas, & 5. dies a primo partu edito, denuo filium enixa.

§. XXXIV. Digniſſimum vero notatu eſt exemplum, quod refert D. EISENMENGER *in Epiſt. ſua de Fœtu Muſſipontano* de duobus conjugatis oppidi Würtembergici Binnickheim, nomine Adam Strotzmann, & Barbara Schnotzerin qui An. 1503. diverſis uno partu vicibus LIII. ſuſceperunt liberos, & quidem 38. maſculos, & 15. fœmellas, quorum omnes exceptis 19. baptizati, ut pote ſubita qui morte extincti. Rem totam declarabit ipſum Epitaphium, quod *Aut cit.* ſubjicit, quod & hic curioſitatis gratia addere juvabit. Ita vero ſeſe habet:

Ein Stádtlein Binnickheim genanndt,
Liegt in dem Würtenberger Land,
Am Zabergau fruchtbahr daraus,
Welches iſt ein Adelich Bau Erbhauß.
Und des Ertz-Stiffts Mayntz Eigenthum,
Gut Wein wächſt dabey um und um.
In dieſem Stádtlein offenbahr,
Als man funffzehn hundert Jahr
Gezehlet hat und drey darneben,
Da waren noch in dieſem Leben,
Diſ' fromme Ehleut wohlgethan,
Adam Strotzmann genandt der Mann,
Barbara Schnotzerin das Weib,
Die trug von ihren Mann in ihrem Leib,
Funffzig drey Kinder nach und nach,
Gantz wunderbahrlich das geſchah,
Zu 53. mahl ſag ich eben,
Hat ſie die Kind an die Welt gegeben,
Achtzehen mahl allweg ein Kind,
Zu 5. mahl allweg zwey ich findt,
Zu 4. mahl allweg 3. zu ſagen,
Auf einmahl hat ſie ſechs getragen.
Da ſie 5. Monat gangen war,
Derſelben ſie die 3. gebahr,

Als ſie damit im Kindbett lag,
Eben biß an den neundten Tag,
Hat ſie gebohren eins darzu,
Ferner ich warlich melden thu.
Nach dieſen, als eilff Wochen war,
Sie abermahl deren eins gebahr.
Das letzte trug ſie noch zehn Wochen;
Da iſt es auch herfür gebrochen.
Zum letzten ich mit Wahrheit ſchreib,
Ward wieder ſchwanger dieſes Weib,
Trug 7. Kinder auf ein mahl,
Damit erfüllt die ihre Zahl.
In 20. Wochen unverlohren,
Hat ſie derſelben drey gebohren,
Deren als ſie auſſen Kindbett ging,
Man wieder eins von ihr empfing.
Nach vierdthalb Wochen noch ein Paar,
Das letzt, da es verhanden war,
Macht es der Mutter angſt und bang,
Einer Elen und 3. zwerg Finger lang,
Deſſelbig war der Kopff ſo groß,
Welches die gute Frau ſehr verdroß,
Daß kein Mann den erſpannen kont,
Drey Tag ſie in Kindes-Nöhten ſtund,
Kein Menſchen ſie mehr ſah noch kannt,
Biß ſie GOtt ſolcher Noht entbandt,
Dies war das drey und funfftzigſt eben,
Und war, wie ich bericht darneben,
Dreyßig und acht der Knäbelein,
Darzu funffzehen Töchterlein,
Die waren allgleich gantz und recht,
Fertig, Männlich und Weiblich Geſchlecht.
Zur Heil. Tauff seynd kommen all,
Biß an neunzehen, die der Fall,
Des ſchnellen Todts hat übereilt,
Bald ſie warn an die Welt gezielt,

Doch iſt ihr keines in aller Summen,
Uber 9. Jahr ſeines Alters kommen.
Solch Ehleut lebten im Ehſtand,
Beyſammen unzertrennter Hand,
Gar nahent in die 50. Jahr,
Gering ihr zeitlich Nahrung war,
Das Weib ihr'n Abſchied aus der Welt
Genommen hat, als man gezehlt,
Tauſend, fünff Hundert und drey Jahr,
Der Mann da noch im Leben war,
Beſchloß doch bald hernach ſein Leben,
GOtt woll ihn frölich Urſtand geben.
Das iſt fürwahr kein leer Gedicht,
Sondern ein gewiß wahrhafftig Geſchicht.
Wie ſolch vor 100. Jahren Friſt,
In die Pfarr-Kirch gemahlet iſt,
Desgleichen von Eltern aufgeſchrieben,
Auch auf dem Rahthauß gemahlt verblieben.
Darum man Urkund geben kan,
Ob jemand wolte zweiffeln drann.
In maſſen Kayſer Ferdinand,
Vor Zeiten auch ward zugeſandt,
Ein ſchrifftlich Uhrkund auf Begehren,
Desgleichen in Böhmen etlich Herren.
Deren ein theil hieltens vor ein Geſpött,
Und thäten darüber groß Gewett.
Schickten ein Bohten in der Eyl,
Allhier gen Binnickheim viel Meil.
Dem ward ertheilt ein Urkund bald,
Daß ſichs in Wahrheit alſo halt.
GOtt iſt, als man auch ſonſt ſieht zwar,
In ſeinen Wercken wunderbahr,
Vermuhtlich iſt: daß geweſen ſey:
Superfœtatio dabey.

Hocce rariſſimum Superfœtationis exemplum apud ZACCH. *l. c. qu. 3. n. 28.* verſibus latinis deſcriptum deprehendimus. In

Italia

Italia tamen rariſſimam eſſe Superfœtationem teſtatur BONACIOLVS *l. c. cap. 5.*

§. XXXV. Cum itaque hactenus probatum fuerit, non ſolum Gemellos, ſed & plures uno puerperio, edi poſſe, inde alia maximi momenti hic exſurgit quæſtio, nimirum: *Quis ex Gemellis pro primogenito habeatur?* Et Reſp. quamvis nomen primogeniti magis ad eum ſit referendum, qui primo concipitur, quam ad eum, qui primo naſcitur, cum fœtus genitus dicatur, qui primum in utero conceptus eſt, & mulieres generare dicantur, cum concipiunt, non cum pariunt, nihilominus tamen ICtis, Primogenitus idem dicitur, qui primo natus, i. e. qui primus vidit lucem, *c. 5. X. de V. S.* cum conceptionis dies & hora ignoretur, ipſasque mulieres quoque lateat. Et inde vereſimile eſt, mentem inſtituentis primogenituram fuiſſe, non ut is pro primogenito habeatur, qui primo conceptus eſt, cum prioritas conceptionis in dubio remaneat; Sed qui primo natus, cum de prioritate Nativitatis evidens certitudo appareat. ZACCH. *l. c. L. 9. T. 12. Qu. 1.* Itaque, quoties præventio alterius ex Gemellis in naſcendo eſt manifeſta, nullum exſurgit dubium, illum, qui nativitate prior eſt, primogenitum haberi, ita tamen, ut non ſufficiat cruris vel bracchii emiſſio, niſi totum corpus naſcatur. TIRAQVELL. *de Jur. Primogenit. qu. I. n. 8.* Idque S. Literæ confirmant GENES. XXXVIII. *v. 28.* exemplo Serah & Perez, qui ex Thamar gemelli nati fuerunt. Primum enim manum porrigentem filo coccineo obſtetrix notavit, ejus tamen manu retracta, alter Perez nativitatem antevertens, primogenitus factus.

§. XXXVI. Quamvis autem ex naturæ ordine prior conceptus, & prior ordinarie naſcatur, atque natura ferat, unum poſt alterum exire debere, cum ſimul uno impetu duo infantes de utero matris excedere nequeant, *l. 15. D. de St. H.* cum tamen obſtetricum incuria fieri poſſit, ut plane ignoretur, quis ex Gemellis

mellis prior, quis poſterior ſit; primogenitura vero per totam fere Europam, ut in Hiſpania, Gallia, Anglia, Suecia, Dania, RVMELIN *ad Aur. Bull. Diſſ. 6. th. 2.* inve tota Germania, ubi primo moribus introducta, poſt vero LL. publicis confirmata, obſervetur, vid. LVDOLPHI *Introd. Jur. primogen. part. gener. p. 32.* inde, cum primogenitura hæc ejusmodi in Regionibus Jus ſuccedendi conferat, quæſtio naſcitur: *Quis in dubio primogenitus credatur?* in cujus tamen deciſione tot exiſtunt opiniones, quot fere capita. Quidam enim rem per Conjecturas expediri poſſe, credunt, eumque imperio præficiendum cenſent, qui vel corpore firmior, vel pulchrior exiſtit, ita ut, ſi maſculus & fœmina ſimul uno partu editi ſint, maſculus ut robuſtior prior, ex utero materno exiiſſe, præſumendus ſit; quod ſi vero ambo ſint maſculi, itidem pro robuſtiore & formoſiore ſententia ferenda ſit, cum is, qui fortior eſt, & prius concipiatur, & prius exeat, licet formoſitas nihil ad hancce prærogativam conferre videatur. Vid. ZACCH. *L. 9. T. 12. qu. 5.* qui ejusmodi Conjecturas equidem circa jura privatorum admittit, non autem, ubi quæſtio eſt de regnis & principatibus, ubi hæ conjecturæ non ſufficiunt. Quidam regimen neutri attribuunt, ſed tertiogenitum, ad evitandam hic omnem controverſiam ac litem, Imperii ſucceſſorem conſtituunt; Quidam patri electionem tribuunt, ut eligere poſſit, eum, quem velit, primogenitum; Quidam hanc electionem populo tribuunt; Quidam gratificationi Superioris locum dant; Quidam potiorem eum dicunt, qui in poſſeſſione eſt; Quidam utrique Regimen concedunt ſimpliciter; Quidam cum diſtinctione, ut non ambo ſimul imperent, ſed alternis annis; Quidam, ut ambo imperent, ſi regnum ſit dividuum, ſin non, Judicio Sortis rem eſſe dirimendam. Quas opiniones congeſſit TIRAQVELL. *de Jure Primogen. qu. 17.* & ex eo WILDVOGEL *in D. de Jur. Gemill. c. 2. §. 9.* & P. MVLLER *in D. de Providentia Majorum, hab. Jen. 1693. pro Gradu a* C. G. LANGE, *c. 4. §. 7. ſequ.*

§. XXXVII. Ex tot jam diverſis Dd. opinionibus fere non conſtat, quæ ex hiſce jam ſit eligenda, cum quæque habeat ſua commoda, ſuave incommoda. Et licet inter alias ea ſe ſat probare videatur, quæ utrique ſucceſſionem tribuit, cum ea incommoda, quæ ſecum fert utriusque pro indiviſo admiſſa, facile evitari poſſint, uti plur. deduxit D. BALTH. TILESIVS *in D. Regiom. 1716. hab. de quæſtione: Cuinam ex Gemellis, quorum primogenitura dubia eſt, jus ſuccedendi in Imperiis individuis competat*, attamen ſi ipſi ſuccedentes de primogenitura inter ſe omnino convenire non poſſent, & Regimen conjunctum mater ſemper rixarum maneret, ſuadendum eſſet Judicium ſortis, ut ultimum refugium; quia alias hic caſus conſilio humano exitum vix aliter habere poſſet, inprimis cum S. Literæ hocce Judicium variis in locis approbent, ut LEVIT. XVI. 8. NVMER. XXVI. 55. XXXIV. 13. JOSVÆ. VII. 14. XVIII. 10. I. SAM. X. 19. *ſeq.* JON. I. 7. PROVERB. XVI. 33. Hocve ſortis judicium jam antiquiſſimis temporibus in uſu fuiſſe, pluribus comprobavit M. WALTHER *in D. Reg. 1704. hab. de Quæſtione: Utrum Sors in Electione Magiſtratuum hodienum juſte ſit intermiſſa*. §. 7. *ſeq.* Add. TIRAQVELL. *l. c.* ubi ex omni hiſtoria exempla adducit, hanc Controverſiam Judicio Sortis fuiſſe diremptam; inprimis cum omnia Jura dicant, rem dubiam Sorti eſſe committendam. *l. 14. D. de Judic. l. 5. D. Famil. erciſc. l. 24. §. 15. de fideicom. lib. l. 2. in pr. C. qu. & quib. quarta pars deb. §. 23. I. de Leg.* Et ita in Dicaſterio Jenenſi deciſum refert D. LYNCKER *Cent. 8. Deciſ. 781.* Titius enim Nobilis quidam heredem in prædiis ſuis Sororem unicam Sybillam ſcripſerat, ea conditione, ut primogenitus ex ea natus in prædio F. ſecundogenitus in prædio Z. ſuccederet. Soror vero Sybilla, cum præter ſpem mature nimis in itinere Gemellos enixa eſſet, a mulieribus autem paganis, qui partui aderant, obſervatum non eſſet, quis primogenitus, quærebatur? quid hac in parte juris? atque ita fuit pronunciatum: Wiewoll nun in Zweiffel einige

den

den Stärckſten, wieder andere den Klügſten mit der Zeit vor den Primogenitum gehalten haben wollen. So wird doch ſolches füglicher aufs Loß geſtellet, und iſt denen Eltern unbenommen, denjenigen, welchem das Loß abfället, und doch etwa der Erſtgebohrne geweſen ſeyn mag, in andere wege ſein Vermögen zu ergröſſern. WILDVOGEL *de Jur. Gemill. c. 2. §. 10.* Eandem Sententiam an. 1683. menſ. Sept. a Collegio ICtorum Jenenſ. approbatam fuiſſe, refert P. MULLER *in D. de Provid. Major. c. 4. §. 12.* verb: Ob woll einige Rechtslehrer in dergleichen zweiffelhafften Fall aus unterlauffenden Umſtänden und Vermuhtungen, bald den Stärckſten, bald den Schönſten, bald den Verſtändig- und Klügſten den Vorzug bey der Erſtgeburht zu billigen, bald des Vaters Willen hierunter die determination und Wahl anheim ſtellen, noch andere aber wegen des ſonderbahren unterlauffenden Zweiffels die commoda primogeniti zwiſchen beyden zu theilen ratſahm- und billiger achten; Dennoch aber und dieweil beſonders das Letzte, nemlich die Theilung von dem Teſtatore ausdrücklich verboten, und von deſſen, nicht aber der Eltern Willen dieſes gantze Werck hanget, und ſolcher die Inſtitutos, als ein Geſetz, welches ſie keines weges zu überſchreiten, bindet, ſonſt auch die von dem Teſtatore angeführte ratio und ſplendor & conſervatio Familiæ, præprimis Senioris & Primogeniti, ut pote magis dilecti, gar hintangeſetzet würde: Hergegen andere, auch vornehme Dd. allen obigen angeführten Mitteln und Wegen, Sorten, und daß es beyde aufs Loß ſtellen, vorziehen, als deſſen Führer der allwiſſende GOtt ſelbſt iſt, und ſo woll Innhalts Göttlicher Schrifft, als auch Geiſt- und Weltlicher Rechte ſothanes Mittels in dermaſſen zweiffelhafften Dingen ſich zu bedienen geſetzt und zugelaſſen, ſo halten wir davor, daß auch hierunter durch ſolches Loß beyden Gebrüdern ſich aus einander zu ſetzen am fügligſten und billichſten zu rahten; &c. quod deciſum integrum a P. MULLERO *in ſ. Diſſ. ſub tit. Caſus bini partus dubii*, adjectum.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Eodem modo controverſia decidenda erit de Gemellis ex utero matris exſectis, ita ut vel utrique ad ſucceſſionem ſint admittendi, vel caſus dubius judicio ſortis ſit dirimendus, cum par hic ſit ratio, & major potius oriatur dubium circa exſectos, quam naturaliter natos. Equidem ZACCH. *l. c. Qu. ult.* probat: Gemellos ex utero matris exemtos regulariter ſimul editos cenſendos eſſe, quia utero aperto ſimul in lucem perveniunt, licet ex ſola voluntate Chirurgi, ſeparatio forte partium a corpore materno ſerius in altero fiat, non tamen hoc naturaliter evenit, ita ut dici poſſit, caſu priorem fœtum exiiſſe. Neque conjecturis hic locum eſſe poſſe, (quamvis contrarium velit ZACCH. *l. c.* ut pote, qui eum prius naſci debuiſſe, conjecturatur, qui majoris eſt vivacitatis, fortitudinis, & meliori corporis ſtructura præditus, in comparatione ad alterum) ex prioribus jam liquet, cum res æque maneat dubia, neque Illuſtribus ex ejusmodi Conjecturis privatorum præjudicari poſſit. Inde prior noſtra Sententia potius & in hoc caſu amplectenda erit, quam & amplectitur D. STRYK *in Tr. de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſ. 1. cap. 3. §. 21.*

§. XXXIX. Temporibus ipſius Puerperii hactenus deductis, illud hic adhuc notare juvabit: quod inter Gentiles adhuc hodie Parentes reperiantur Tygride immaniores, qui miſerrimos ſuos, ut fructus damnatos, exponunt liberos, ut fame & frigore pereant, vel a beſtiis in virgultis dilacerentur, qui certis menſibus, diebus ac horis, ab ipſis pro infeliciſſimis, neſcio, qua ſuperſtitione habitis, naſcuntur. Inde de Incolis Inſulæ, dictæ *Madagaſcar*, qui tum Religionem Mahumedanam profitentur, tum Gentiliſmo addicti ſunt, quæquæ a Gallis *la Dauphiné*, a Luſitanis vero *Inſula S. Laurentii* appellatur, DAPPER *in deſcript. Africæ P. 2. p. 43.* ſequentia refert: Keine gröſſere Grauſamkeit iſt, als daß die Madagaskaier ihre Kinder verwerffen oder hinrichten, ſintemahl dieſe unſchuldige Kinder von Mutterleibe an verdamt werden, das Tagelicht zu verliehren, ehe ſie es geſehen haben; Dar-

um werffen ſie es in einen Dornbuſch oder Hecken, biß es nach vielen Weinen verhungert, oder den wilden Thieren zu theil wird, und hiezu überreden ſie ihre Ombyaſſen, oder Prieſter, welche ſagen: Das Kind ſey in einem unglücklichen Monat, Tag oder Stunde gebohren, und werde entweder ſeinen Vater ermorden, oder ſonſt allezeit unglücklich ſeyn, deswegen es ihm beſſer ſey, daß es noch jung umkomme, da doch die armen Kinder woll in den beſten Zeichen gebohren ſind. Die böſen Monate ſind, der April, der Faſt-Monat, der achte Tag in allen Monaten, das letzte Viertel, der Mittwoch, und Freytag; Die böſen Stunden aber ſind, ſo von einem böſen Planeten regieret werden, und alſo rechnen ſie faſt die Helffte des Jahres vor böſe Tage. Zwar etliche Leute ſind mitleydig, und laſſen die Kinder zwar hinauswerffen; aber bald wieder wegnehmen, und heimlich aufferziehen; die aber ſo religieux ſeyn wollen, halten dafür, daß es beſſer ſey, die Kinder in der Geburt zu erſticken, als leben zu laſſen/ ja achten es vor ein gut Werck, als ob ſie einen Scorpion tödteten. ꝛc.

§. XL. Huc & referenda Crudelitas Incolarum Inſulæ Formoſæ, ubi Fœminæ ſibi dedecori eſſe autumant, ſi ante annum æt. 37. gravidæ reddantur. Hoc enim ſi eveniat, fœtum in utero modo ſane crudeliſſimo trucidant, de quibus MONTANVS in Beſchreib. der Japaniſchen Geſandtſchafften, & ex eo, Eras. FRANCISCI im Sittenſpiegel *p. 942.* ſequentia tradit: Die vor dem 37. Jahr ſchwanger werden, tödten ihre Leibes-Frucht auf eine abſcheuliche Weiſe. Sie legen ſich auf die Schlaffſtädte nieder/ ſo aus einer auf dem Boden ausgebreiteten Hirſchhaut, oder auch aus einem Spannbett von Bambuſen beſtehet, und die herzugeruffene Prieſterinnen drücken, und treten ſo lange auf den befruchteten Leib, biß die Frucht nicht ohne erſchreckliche Schmertzen abgehet. Georgius Canidius, welcher um das Jahr 1628. auf dieſer Inſel Formoſa Evangeliſcher Prediger geweſen, erzehlet, daß er eine Frau daſelbſt gekandt, welche 16. Kinder

auf

auf gemeldte abſcheuliche Art loß geworden, und endlich das 17. zur Geburt kommen laſſen, weil ſie die Jahre erreichet, da ſie ohne Schande gebähren mögen.

§. XLI. Pruſſos quoque noſtros olim liberos ſuos ex matrimonio ſuſceptos pro lubitu aut expoſuiſſe, aut etiam prorſus enecaſſe, colligendum eſt ex Privilegio Pruſſis veteribus An. 1249. a Legato Pontificis Rom. conceſſo, in quo ſequentia deprehenduntur verba: *Et quod nullus filium ſuum vel filiam, quacunque de cauſa, per ſe, vel per alium, abjiciet, vel occidet, de cætero publice vel occulte, vel ab alio talia quocunque modo fieri conſentiet, vel permittet.* A Chriſtianis enim hæcce prohibita non fuiſſent, niſi talia veteribus illis Pruſſis in more fuiſſe cognoviſſent. Imo DVSBVRG *Part. 3. Chron. cap. 4.* de Galindis Pruſſis refert, eos fœmellas omnes in lucem editas interfici juſſiſſe, ſervatis maſculis bello idoneis, inde maſculi potiores iis fuere, fœmellis. Ex ea quoque ratione mulieres eousque habebantur Virgines, donec maſculam ſobolem peperiſſent. HARTKNOCH. *Diſſ. 12. de Var. Reb. Pruſſ. §. 5. in f.* Sic de Waidevvuto, Pruſſorum Rege, & ut volunt, primo Pruſſorum LLatore, refert WAISSEL. in ſeiner alten Preußl. Eyffl. und Curl. Hiſtorien. *p. m. 12. b.* eum hancce Legem initio tuliſſe: Daß kein Haußvater mehr Kinder oder Knechte erzoge, denn ihm vonnöhten war, ſeine Arbeit zu vollbringen, die übrigen ſolte er verkauffen, oder NB. tödten. Hodie tamen hæc Parentum impietas LL. ultimo ſupplicio coercetur, ita, ut ne quidem fœtum in utero necare permiſſum ſit, quod plur. *c. I. §. 5.* deduximus.

§. XLII. Apud Ebræos tamen moris erat, fœtum in utero necare, ſi Puerperæ periculum immineret, eaque per id ſervari poſſet. Refert enim SELDEN. *de J. Nat. & Gent. iuxta diſc. Ebræor. l. 4. c. 3. circ. f.* ſequentia: *In ipſo adhuc utero Infans trucidatur neceſſaria Crudelitate, quum in exitum obliquatus denegat partum, matricida, ni moriturus*, ex *lib.* TERTVLLIANI *de Anima c. 25.*

Et ex MAIMONIDE juxta mentem Gemaræ hæc : *Decrevere Sapientes, ſi fœmina gravida puerperio laboraret* (ita ut ejusdem inde vitæ periculum plane immineret) *fas eſſe fœtum in utero ejus ſive pharmaco, ſive manu extinguere, quoniam habitus eſt quaſi aggreſſor, ſeu, quaſi is, qui vim inferret, necandi cauſa.* Illud tamen ita temperant, ut ſi vel caput in lucem fœtus emiſerat, ei non omnino matris gratia nocendum, quoniam non pellenda, ut inquiunt, anima pro anima, i. e. innocentis alterius vita gratia alterius non tollenda. Ita enim ſe habent verba MAIMONIDIS apud SELDEN. *l. c. Verum ſi exeruerat caput, ei nocendum non erat, quia anima, ſeu vita pellenda, ſeu tollenda non erat.*

§. XLIII. Sed *num ea,* quæ apud Ebræos moris erant, *adhuc hodie licita ſint, ita ut fœtum occidere, aut abigere liceat, ut mater ſalvetur,* quæſtionis eſt? Et Reſp. Non paucos affirmare, infantem in utero occidi poſſe, ſi ille non poſſit extrahi ſine matris diſcrimine, cum potius Matri viventi, quam proli nondum natæ parcendum ſit, inprimis, cum & ætatis reverentia id exigat, & mori pro parentibus liberos potius, quam illos pro his æquum ſit, quam ſententiam & amplexi ſunt Canoniſtæ, ſi modo evidens periculum ex partu appareat. ZIEGLER. ad LANCELLOT. *Lib. 4. Tit. 10.* Sed falluntur iſti, cum in hominum poteſtate poſitum non ſit, de vita hominis pro lubitu diſponere, ut hunc ſervare, illum morti tradere queant, inprimis cum neque fœminarum pernicies, ante partum, nec earum ſalus, poſt abortum, certæ ſint, cum ſæpius non minus ex tali abortu, quam ex partu, fœminæ periclitentur, DEVS præter ſpem fœtum adjuvare posſit. Salva igitur conſcientia ejusmodi medicina puerperæ applicari nequit, quæ directo mortem partus intendit, cum infans optimus vitæ ſuæ poſſeſſor ſit. Periculum igitur cum æquale ſit, & pro utriusque conſervatione laborandum erit, non minus pro partus, quam matris ſalute, cum alia remedia applicari posſint puerperæ, quibus ei absque ulla fœtus noxa ſuccurri queat.

Conſ.

Conf. D. AMSEL *in Diſſ. Regiom. 1716. hab. de Homine innocente non occidendo. c. 4.* §. 5. D. WILDVOGEL. *de Jure Embryon. c. 4. th. 6.* P. MVLLER *de Jur. Prægnant. c. 9. th. 8.* & *in D. de Philavtia c. 2. th. 16.* aliique cit. apud ZACCH. *l. c. L. 6. T. 1. Qu. 7. n. 14.* Si tamen certiſſimum ſit, matrem perituram, niſi fœtus ſumto medicamento expellatur, neque directo mors partus intendatur, ſed ſaltim ex poſtfacto evenire poſſit, ut ſalute matris conſervata, fœtus morti tradi poſſit, non injuſtum judicamus, ſalutem Matris præferendam eſſe vitæ infantis. Vid. D. WILLENBERGII *D. de licita Innocentium Cæde.* §. *43. hab. Gedani. 1708.*

CAPVT III.

De Temporibus poſt Puerperium.

SVMMARIA.

§. I. *Circumciſio num apud Ebræos die 8. peragenda fuerit.* II. *Num idem obtinuerit in Androgynis, Cæſonibus, Advenis, Peregrinis, Proſelytos fieri volentibus, ut et in iis, qui glandem membri nudam haberent.* III. *Num ea ante, vel poſt diem 8. inſtitui potuerit.* IV. *Num totus dies 8. ad hunc actum idoneus fuerit, & num 8. dies pleni requiſiti fuerint.* V. *Servi & ancillarum partus quo tempore circumciſi.* VI. *Circumciſio quomodo peracta fuerit.* VII. *Hodiernorum Judæorum quæ ſint Circumciſionis Solennitates.* VIII. *Ethnici circumciſione utentes, quo tempore hodie circumcidant.* IX. *Solennia Turcarum circa Partum recens editum.* X. *Actus baptizandi, quo tempore olim expeditus fuerit.* XI. *Exempla Gentium earum, quæ hodie baptiſmum differunt.* XII. XIII. *Hodie quo tempore adulti baptizandi.* XIV. *Chriſtiani olim per baptiſmum renati per octiduum albis veſtibus incedebant.* XV. *Infantes quo tempore hodie baptizandi.* XVI. *Fœtus num in utero matris baptizari queat.* XVII. *Num Abortivus.* XVIII. *Dies quis fuerit nominalis Ebræorum.* XIX. *Quis hodiernorum Judæorum.* XX. *Quis Romanorum.* XXI. *Quis Græcorum.* XXII. *Quis Germanorum antiquorum.* XXIII. *Hodie quando imponatur nomen.* XXIV. *Nomen*

men in baptiſmate impoſitum num mutare liceat. XXV. *Hebræorum primogeniti qua ætate redimerentur.* XXVI. *Puerpera quot diebus poſt editum partum apud Hebræos immunda fuerit, et adhuc hodie ſit.* XXVII. *Maritus num a Puerpera debitum coniugale exigere poſſit.* XXVIII. *Mos num improbandus, quod Puerperæ finito puerperio in templo ſe ſiſtant, et a miniſtro eccleſiæ benedictionem capiant.* XXIX. *Mater num ſalva Conſcientia onus lactandi extraneis fœminis delegare poſſit.* XXX. *Proles ad quod uſque tempus lactanda.* XXXI. *Tempus quodnam attendendum in electione Nutricis extraneæ.*

Partu edito, cum olim apud Ebræos, & hodie adhuc apud Judæos aliosve Gentes Circumciſionis ritus, in cuius locum hodie Baptiſmus ſucceſſit, expediri, nomenque recens nato imponi debuerit, inde, quæ circa eorum tempora, & quæ his ſunt ſimilia, dicenda forte erunt, hocce Capite ultimo pertractúri iam ſumus.

§. I.

QUod igitur *Circumciſionem* concernit, quæritur: *Quo tempore actus Circumciſionis apud Ebræos expediendus fuerit?* Et Reſp. Ex Lege diuina, quæ extat GENES. *XVII. 11. 12.* & LEVIT. *XII. 3.* Ebræorum pueri *die octavo* poſt Nativitatem circumcidi jubebantur, cuius circumciſionis omiſſio gravi coercebatur pœna, incurrebant enim negligentes in pœnam excidii. Imo gravior eius exiſtimabatur omiſſio, quam ſi quis celebrationem Paſchatis, aut Feſti Tabernaculorum neglexiſſet. Inſtitui quoque debebat, ſive Sabbathum eſſet, ſive non, hinc Circumciſio pellit Sabbathum, quia die 8. peragi debuit. Vid. MAIMONIDIS *Tr. de Circumciſione c. 1. §. 9. 10.* quem cum Interpretatione edere conatus eſt D. WALTHER *in Diſſ. I. c. 1.* huius Tr. continens. Si itaque die nono peracta fuiſſet, ob Sabbathum, quod erat die octavo, ſatisfactum haud fuiſſet mandato DEI, qui die octavo, non nono, aliove eam inſtitui iuſſerat. *Adr.* RELAND. *P. 4. Antiquit. Sacr. Vet. Hebr. c. 3. §. 5.* Differebatur

tur itaque circumciſio uſque ad diem octavum, quia ante illum diem infans nimis eſt tener, incertumque habebatur, an vitalis ſit futurus, ut ex GALLENO docet *Fr.* VALLESIVS *de ſacra Philoſoph. c. 18.* MENOCH. *L. 3. de Republ. Hebr. c. 17. p. 328.*

§. II. Atque hic dies octavus Circumciſionis etiam obſervandus erat in *Androgynis*, i. e. in recens natis infantibus, membrum virile, inſtar maris, et membrum muliebre inſtar fœmellæ habentibus. Imo die octavo circumcidendi erant, ex ventre matris exciſi, nec non duo habentes præputia. Simili modo, ſi parvulus natus eſſet circumciſus, i. e. glandem membri habens nudam, ac ſi circumciſus eſſet, nihilominus neceſſitas poſtulabat, ut ex eo ſanguis fœderis octavo die eliceretur. Advena, quoque peregrinus, qui Proſelytus fieri deſiderabat, primum circumciſionem ſuſcipere tenebatur; Si vero jam circumciſus eſſet, cum adhuc gentilis erat, neceſſum erat, ab ipſo extrahere ſangvinem fœderis circumciſionis, iſto, quo proſelytus fiebat, die. MAIMON. *l. c.* §. 7.

§. III. Nullo tamen caſu licitum erat diem octavum antevertere, cum graviter peccarent parentes, ſi infantem ante diem octavum circumcidiſſent, contra Legem divinam, licet non repetitam fuiſſe Circumciſionem, cum VASQVIO et AVGVSTINO credat MENOCH. *l. c.* Circumciſio enim ante diem 8. non erat Circumciſio, niſi adeſſet periculum mortis, quo caſu diem 8. anticipabant, tumque perinde erat, a quo circumciſio perageretur, ſive Iſraelita, ſive Chriſtiano. LEIDEKKER *Lib. 2. de Republ. Hebr. c. 4. p. 68.* Si vero infans circa crepuſculum, de quo dubium, num ad diem, num vero ad noctem eſſet referendum, naſceretur, a nocte initium ſupputationis faciebant, circumcidebaturque die nono, qui dies erat octavus dubius. Si vero veſpera Sabbathi, intra ſolis tempora i. e. tempore crepuſculi naſceretur, non pellebat Sabbathum, ſed die 10. hebdomadis circumcidebatur, quia ob rem dubiam Sabbathum non pellebant.

MAIMON.

MAIMON. *l. c.* §. *12.* Habent tamen Ebræi Canonem, juxta LEIDEKKER *l. c.* Infantem circumcidi poſſe, octavo, nono, decimo, undecimo & duodecimo die. Si enim gravior fuerit morbus, 7. a valetudine adhuc expectant dies, quia puritas a morbo requiritur, vt ſit commodum circumciſioni tempus. In levioribus tamen morbis, v. g. Ophthalmia, e veſtigio ægrotum circumcidunt, reſtitutis oculis. MAIMONID. *l. c.* §. *16.* Differunt quoque Ebræi Circumciſionem, ſi infans die 8. circumciſionis admodum viridis deprehendatur, ad id tempus, donec ruborem contrahat. ID. *l. c.* §. *17.* Superſtitio quoque Ebræorum eo venit, ut etiam mortuos circumcidi juſſerint, & id quidem ante diem octavum, quod pluribus ex Rabbinis deduxit D. QUANDT. *in Diſſ. Regiom. 1713. hab. de Cultris Circumciſoriis & Seceſpitis Hebræorum.* §. *8. circa fin.*

§. IV. Peragenda quoque erat Circumciſio de die, poſt exortum Solis, ſive tempus eſſet ordinarium, quod erat dies octavus, ſive extraordinarium, quod erat a die nono et ultra. Inde qui naſcente aurora circumcidebatur, illius Circumciſio legitima erat, totusve dies ad actum Circumciſionis erat idoneus, quamvis Ebræi feſtinent, ut in exordio diei peragatur. MAIMON. *l. c.* §. *8.* Intelligunt tamen Hebræi hic, non 8. dies plenos, ſed a partu octavum diem. Ajunt enim, dies Legis non ſunt a tempore ad tempus, i. e. a pleno tempore ad plenum tempus. Sic in Circumciſione Chriſti, finis primi diei in partu, et initium octavi diei, 8. dies conficiunt, licet non plenos, quod & a Chriſtianis obſervatur, ubi de Reſurrectione Chriſti tertio die agitur. LEIDEKKER. *l. c.*

§. V. Tenebatur quoque Dominus circumcidere ſervum, tum ſub poteſtate Iſraelitarum natum, tum a Gentibus acquiſitum, ita ut ſervus in familia natus die 8. pecunia vero emtus, iſto, quo emtus erat die, circumcideretur. Si illo ipſo, quo natus erat die, emtus eſſet, eo ipſo quoque circumcidebatur

tur die. Aliquando tamen ſervus pecunia emtus die 8. & in familia natus, ipſo die Nativitatis ſuæ circumcidebatur. Si enim aliquis & ancillam, & cum ea Embryonem emerit, is, ſi ancilla pariat, 8. circumcidebatur die, licet Embryo ſeorſim emptus fuerit, cum embryo ſervus ſit pecunia emtus, nihilominus, quia matrem ejus, antequam in lucem ederetur, emit, die 8. circumcidebatur. Ancillam vero qui emit, aut ut imprægnetur, aut ut nomine Servitutis non baptizetur, is, qui naſcebatur, licet in ejus eſſet poteſtate, iſto, quo natus erat die, circumcidebatur; talis enim infans inſtar ſervi tantum, & quidem hoc die pecunia emti æſtimabatur, quia mater ejus ancillis Iſraeliticis non annumerabatur, ut pro filio domi nato haberi poſſet. Si autem mater ejus poſt partum baptizaretur, talis maſculus die 8. circumcidebatur, referente MAIMONIDE *cit. Tract.* §. 3. *ſeq.* ex interpretatione D. WALTHERI.

§. VI. Inſtituebatur autem hic circumcidendi actus coram Armario, ab hujus artis non ignaro, auferens infanti 1) novacula partem præputii, & 2) diſcerpens unguibus partem reliquam, donec glans plane nudetur, quod ſi omiſſum eſſet, tota Circumciſio erat nulla. Ritum vero hunc comitari ſolebant nonnulla alia, ut formulæ acclamandi, collatio Sedis Eliæ, accenſio facis, ſanguinis e vulnere exſuctio, ejusque immiſſio in Calicem vini, impoſitio nominis, preces, & convivium domi paratum. RELAND. *l. c. P. 1. c. 10.* §. 9.

§. VII. Modernos Judæos quod concernit, pauca quædam jam in *cap. 2.* §. 4 de eorum Solennitatibus circa puerperium ex KIRCHNERI Jüdiſchen *Ceremoniel. c. 19.* retulimus, ex quo jam reliqua ad Circumciſionis actum ſpectantia depromere juvabit. Poſt ſupra enim relata, Pater Infantis recens nati, omnia præparat, quo filius editus *die octavo* poſt Nativitatem circumcidi poſſit, ſecundum Inſtitutionem V. T. Hinc ad illam invitatur ſic dictus Mohul, ſive Circumciſor divinus, qui, ſi in eo loco

 nullus

nullus adſit, ex alio, maximis licet etiam ſumptibus, evocari debet loco. Huic adjungere etiam ſolent Patrinos, maritum & uxorem, vel Juvenem & virginem. *Septimi diei veſperam, noctem* appellitant *triticeam*, a ceremoniis ſolitis ita dictam. Matutino enim tempore, ante preces peractas, Sponſum, Sponſamve ad templi ducunt portam, ac cuivis manipulum tritici offerunt, quem ſuper deſponſatos, clamando : Creſcite & multiplicamini, replentes terram, conjiciunt, quam veſperam hilare comitatur convivium, ex X. conſtans viris, quo finito, dictus Mohul, jam viva voce ad Deum preces fundit, & omnes puerperam circumſtantes, ei orationem veſpertinam Ebraicam prælegunt, quo facto, omnes ſe domum conferunt. *Die octavo* Circumciſionis ſcil. dictæ X. perſonæ templum frequentant, ac ibi DEVM laudando tempus conſumunt. *Quinto* poſt editum partum *die*, Cerea magni conficitur ponderis, additis 12. minoribus, quas circumciſionis tempore accendunt. Precibus finitis binæ exponuntur Sellæ, quarum una dicitur Sella Prophetæ Eliæ, altera Sella Patrinorum, quælibet pulvinare habens. Poſt Mohul inſtrumenta circumciſionis diſtribuit : primo cultrum, quo circumciſio peragitur ; ſecundo pulverem, qui in vulnus, facta ſciſſione, ad ſanguinis cohibendum fluxum, conjicitur ; tertio faſces, quibus membrum virile ligatur ; quarto, poculum vini benedicti ; quinto, alium vini poculum tradit, ex quo vinum circumciſor haurit, osque circumcidendi ſanguine rutilans purgat, inve terram dejicit. Hoc peracto, Circumciſor patrinam, infantem ad circumcidendum apportantem, clara alloquitur voce : *Baruch baba* i. e. *Benedictus ſit, qui ad te accedit*. Aliis inſequentibus ceremoniis tandem circumciſio peragitur, atque ſanguis tribus vicibus, e membro circumciſi exſugitur, pulvis adhibetur, ac infans ad Altare portatur, præputiumve in arena vel cinere aſſervatum, XII. ſupra laudatis cereis comburitur. Poſt Circumciſor poculum vini apprehendit, benedicendo, digitum

hocce

hocce in vinum mittens, poſtve eum ori circumciſi applicans, dicendo: *Weiomar lach, Adonai chey*, i. e. *Sanguine hoc vives. &c.*

§. VIII. Reſtat, ut pauca quædam de aliarum gentium tempore circumcidendi hic in medium proferamus, prout Itineraria, nobis credenda reliquerunt. Referente enim DAPPERO *in Deſcript. Africæ. p. m. 42.* Mahumedani filios ſuos, *anno ætatis octavo* circumcidunt, ubi equitando in Templum deducuntur, facem in manibus, vittamque (Bund) in capite geſtantibus. Peracta circumciſione exclamat puer circumciſus: *DEVS eſt DEVS, ſed Mahumed ejus Propheta*; quamvis in *deſcriptione Aſiæ* IDEM referat de Turcis: quod mares 12. demum ætatis anno circumcidantur. Alii volunt, circumciſionem anno æt. 13. peragi, quia Iſmaël hoc anno circumciſus fuit. Verum rectius hæcce rejicit D. *Adr.* RELAND. *in Tr. de Relig. Mahumed. Lib. 1. Sect. 2. c. 1.* aſſerens: nullos certos apud hos Circumciſioni præfinitos eſſe æt. annos; ſed pueros circumcidi anno æt. 13. 14. 15. vel 16. quo ſcil. anno jam apti deprehenduntur, ut fidei poſſint recitare confeſſionem, ita ut illa aliquando jam anno 6. vel 7. æt. adhibeatur, modo puer eloqui poſſit verba: *Unicus eſt DEVS, & Mahumed DEI Propheta!* IDEM DAPPER. *l. c. p. m. 417.* refert: In Regnis, Regionis Guineæ, Africanis, Gale & Quoja, virgines quoque circumcidi. Sacerdotiſſa enim ſenex in virgultum quoddam eas ducit, in quo per ſpatium 3. vel 4. menſium ſubſiſtere tenentur, inve cantando ac ſaltando in honorem Idoli inſtruuntur, tandemque circumciſionis actus peragitur, dum voluptatis quaſi anima eis ex pudendis exſcinditur, quæ ſciſſura multum ſanguinis protrudit, maximosve cauſat dolores. Ex hoc tamen vulnere, vix 10. elapſis diebus in integrum & ſanæ reſtituuntur. IDEM *l. c. p. m. 486. & 498.* de Regni Ulkami, in Guinea virginibus, refert, eas ipſasmet actum circumcidendi expedire, dum bacillum, cui formicæ firmiter inhærent, pudendis ſuis applicant, ut membri hujus carnem corrodant. IDEM

in Deſcript. Aſiæ p. m. 530. de Ægypti incolis refert, eos & fœminas & mares circumcidere, quo tamen tempore, de eo ſilet. IDEM *in deſcr. Perſ.* de Perſis ſcribit, eos tum mares tum fœminas, anno æt. 7. 8. vel etiam nono circumcidere. &c. Reliqua exempla hic ſtudio jam negligimus.

§. IX. Antequam ad Actum baptiſmalem progredimur, hic conſcribere juvabit ritus quosdam, qui circa recens natos infantes Turcarum in uſu eſſe dicuntur. Sequentia enim de his refert FRANTZ. FERD. VON TROILO in ſeiner *Orient.* Reiſebeſchr. *p. m. 720. ſequ.* Wenn die Türcken Kinder gebähren, ſonderlich aber ſo es Söhne ſind, und zwar die Erſtgebohrne / ſtellen ſie groſſe Freude an, dazu ihre Freunde und Nachbahrinnen geladen werden. Dieſe, wenn ſie kommen, nur den erſten Schritt in das Hauß ſetzen, ſchreyen ſie alle zugleich: Oli, Oli, Oli, und ſingen den gantzen Tag und Nacht / darbey eſſen und trincken ſie, und ſind luſtig, und guter dinge: Dergleichen Freuden-Feſte begehen auch alle Türcken, wenn ſie ihre Söhne mit Paucken und Pfeiffen zur Beſchneidung führen, auch wenn es reiche Chriſten ſeyn, und ihre Kinder tauffen laſſen, begehen ſie ebenfals ein ſolches Jubel-Feſt. Wenn der Araber Kinder etliche Tage alt ſind, bereiten ſie ein beiſſendes und ſcharffes Saltz-Waſſer, darein legen ſie das Kind. Nachdem ſie es nun damit lang genug gewaſchen haben / ſchmieren ſie es über und über mit einem gewiſſen Oehle, dadurch ſie eine grobe, und ſtarcke harte Haut bekommen, daß ihnen hernach kein Ungezieffer mit ſtechen einigen Schaden zufügen kan, und alſo vor den Läuſen, Flöhen, Mücken, Scorpionen, und anderen Ungezieffer befreyet ſeyn. ꝛc.

§. X. Ad Actum jam progredimur baptizandi, inquirendo: *Quo olim tempore Actus baptizandi expeditus fuerit?* Et Reſp. Tempore Chriſti Salvatoris noſtri, & Apoſtolorum omnis ætas baptiſmo erat habilis, ita tamen, ut hoc a ſalutari Sacramento infantes recens nati non excluderentur, ut pote in quorum non mi-

nus, ac adultorum proſelytorum uſum illud inſtitutum erat. Et quamvis jam primis temporibus fuerint, & adhuc hodie extent deriſores hujus doctrinæ, nihilominus Patres Concilii Milevitani, cum A. C. 416. hæreſin Pelagianam damnaſſent, *c. 2.* ſtatuerunt: *Quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema ſit.* Simili modo Seculo VI. in Concilio Gerundenſi *c. 4.* ſancitum fuit: *Ut ſi infirmi fuerint*, (infantes ſcil. recens nati) *& lac maternum non appetant, vel ea die non baptizantur, qua nati ſunt.* Recedere igitur ab hac doctrina videtur, GREGORIVS NAZIANZENVS qui *in Orat. 40. de S. Baptiſ.* a V. T. ſacramento, ad N. T. Baptismum argumentum ſibi petere licere in baptizandorum ætate autumat. In quam Sententiam & TERTVLL. *in libro de Baptiſ. c. 2.* inclinaſſe certum eſt, quando cunctationem Baptismi utiliorem eſſe exiſtimat, præcipue circa parvulos. Hisce tamen ſatisfacere poſſunt loca, apud NIEMANN. *in Diſp. de Pædo Baptiſ. §. 16. ſequ.* relata, citatus a MVLLERO *in D. de Juſta Ætate. c. 3. §. 2. 3.* Et quia Dd. Eccleſiæ veteris in ea opinione fuere, quaſi ad ſalutem animæ magis conduceret, ſi baptismus in ſeros differatur annos, inde multos legimus ad ætatem usque maturam ſacrum diſtuliſſe lavacrum. Sic Gregorius Nazianzenus in ætate virili, Joh. Chryſoſtomus, anno æt. XII. Auguſtinus an. æt. XXXIV. initiationis ſuſceperunt Sacramentum, ipſeque Ambroſius, adhuc Catechumenus, Epiſcopus Mediolanenſis electus, poſt Electionem demum ſacro fonte tinctus eſt, quod & de Theodoſio M. refertur. MVLLER *l. c. §. 5.* Major tamen error, isque reprehenſione dignior erat Clinicorum, ita denominati, *ἀπὸ τȣ κλίνειν*, ſeu a clinando, vel recumbendo, quod ægroti, cum baptizarentur, in lecto clinarent, h. e. decumberent, quorum ſecta in primitiva eccleſia nata, qui Baptismum usque in morbum, imo ad diem emortualem differebant, non quidem Sacramenti contemtu, ſed Religione quadam ac reverentia baptiſmi; quæ tamen Secta improbata in Concilio

lio Neo-Cæſarienſi, A. C. 314. *cap. 12.* & in Synodo Laodicenſ. A. C. 1364. hab. *can. 47.* Nec deſunt Exempla eorum, & quidem illuſtrium, qui in agone baptismum recipere voluerunt, inter quos Conſtantinus M. & Conſtantius, Conſtantini filius, quem tamen errorem diſcuſſerunt Eccleſiæ purioris Dd. Vid. HILDEBRAND. *de Vet. Eccleſ. Arte bene mor. cap. 3.* add. *cit. apud* MULLER. *l. c.* licet de adultis nullum ſit dubium, quin neceſſitate cogente baptizari poſſint, in articulo mortis conſtituti. Alius eſt error Montaniſtarum, qui ſi Catechumenus obiiſſet, ei jamjam ſepeliendo baptismum conferebant, quem morem ſuſtulit Concilium Carthaginenſe II. vulgo III. Seculo. IV. Vid. HILDEBRAND. *in Hiſtor. Concil. p. m. 59.* Craſſior tamen eſt error Corinthianorum & Marcionitarum, qui pro mortuorum cadaveribus alios ſacro lavacro tingebant, patrinosque adhibebant, qui pro mortuis reſpondebant, quorum ritum ita deſcribit CHRYSOST. *Homil. 40. in Cor. XV. Poſtquam Catechumenus quispiam apud eos deceſſerit, ſub lecto mortui abſconſo aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant, velitne baptismum accipere? Deinde illo nihil reſpondente, qui eſt inferius abſconditus, pro illo dicet, ſe velle baptizari, & ſic eum baptizant pro eo, qui exceſſit.* Quam abſurda vero hæc ſint, non nemo videt. Conf. interim plur. de Baptismo ſuper Mortuis, HILDEBRAND. *de Vet. Eccl. art. ben. mor. c. 4.* qui hanc materiam egregie pertractavit.

§. XI. Quamvis vero ſupra dixerimus minus recte eos ſentire, qui baptismum in adultiores annos differendum eſſe ſtatuunt, nihilominus tamen adhuc hodie non paucis in uſu eſt gentibus, poſt aliquot demum dies, imo annos poſt Nativitatem, ritum Baptismi celebrare. Sic Armenii infantes ſuos ante 8. diem non baptizant, niſi ſit caſus neceſſitatis, qui, ſi ante Baptismum decedant, beatitudinis cœleſtis privati cenſentur, nec eis Sepultura in Cœmiterio conceditur. OLEAR. Perſian. Reiſebeſchr. *L. 4. c. 40.* De Ruſſis, ſive Moſcovitis ex *Sig. Baro. ab* HERBERSTEIN, refert

refert G. VOSSIVS *de Baptiſ. Diſp. 16. th. 4.* illos infantes ante 40. diem non baptizare, quod tamen ex OLEARIO negat, OPPENbuſchius *de Relig. Moſchor. p. 22.* ut pote qui teſtatur, eos cum nato infante ad Baptiſmum properare. De Sunanitis, quæ creduntur eſſe ex genere Morabutarum, refert DAPPER *in Deſcr. Afric. p. 44.* eos liberos ſuos, anno æt. 30. in nomine Domini viventis baptizare. De Habysſiniæ incolis refert LINTSCHOTT. *P. 1. Navig. Orient. c. 40.* eos ſaltim baptizari more apud eos ſolenni, ac diverſo a Chriſtianorum ritibus, ſed contrarium refert DAPPER. *l. c. p. 692.* eos ſcil. octavo poſt nativitatem die circumcidi, & poſt die 40. baptizari: quamvis ALVAREZ *in Deſcript. Æthiop. c. 22.* puellas die 60. pueros vero 40. baptizari ſcribat. Nihilominus juxta *cit.* DAPPER. exacto ſexennio ſecunda vice baptizantur, & quidem, quod mirabile, igne. Ferro enim candente Stigma naſo infantis ſexennalis inuritur. Inſuper quovis triennio, Feſto ſcil. 3. Regum, ſeu, Epiphanias baptizantur, ex illa ratione, quia hoc die Chriſtus baptizatus. *Alex*: tamen ROSS. von mancherley Religionen der Welt *ſect. 14. circa f.* & ALVAREZ. *l. c. cap. 95.* ſcribunt: eos quotannis hoc die baptismum renovare, und pflegen ſich ſelbſt zu tauffen, in den Pfühlen und Ströhmen, am Tage der Heil. 3. Könige zum Gedächtnüß der Tauffe Chriſti, der an ſelbigem Tage ſoll getauffet ſeyn. Incolæ prope Surattam, in India, nomine Gaoryasdy, ſeu Parſi, baptismo quidem utuntur, dum infans aqua a ſic dicto Darao aſpergitur; ſed ſeptimo demum ætatis anno totum infantis corpus lavatur, ac purgatur, & quæ ſunt cætera, quo facto in numerum Credentium recipitur. Conf. DAPPER. *in Deſcr. Aſiæ p. 242. ſeq.* Incolæ Mingreliæ baptizant liberos ſuos tertio aut quarto ætatis anno, & quidem in Cella cereviſiaria, hunc locum æque ſanctum, ac Templum credentes, dum Patrini eos in aqua luſtrali lavant: *ibid. p. 158.* Sabæi, Chaldeæ Incolæ, die ſolum ſolis, & quovis anno liberos ſuos baptizant, imo Sponſus & Sponſa ſem-

ſemper baptizantur. *ibid. p. 130. ſeq.* De Cempoalanis MARTYR *apud* HORN. *Lib. 1. de Orig. Gent. Americ. c. 5.* refert : *Pueros jam anniculos, puellasque, cum piis Ceremoniis ſacerdotes in Templis aqua in crucem cum urceolo capiti ſuperinjecta baptizare videntur ; verba non percipiuntur, actus & murmura licet animadvertere :* De Jucatanis, qui in Peninſula Jucatan, in America ſeptentrionali, ad Audientiam Mexicanam pertinente, habitant, refert MAFFEJUS *lib. XV. Hiſt. Jndic.* eos liberos ſuos intra annum æt. 3. & 12. baptizare, ita ut nemo eorum ante baptiſmum ad matrimonium convolare poſſit. Ad actum vero baptizandi hos feliciſſimum requirere diem, eorumve parentes tribus ante baptiſmum diebus jejunare, neque concubitum celebrare. De Baptismo tamen Mexicanorum ex *Joſephi a* COSTA *Lib. 5. Hiſt. Moral. Ind. occid. c. 27.* refert *Eras.* FRANCISCI im Sittenſpiegel *p. 923.* ſequentia : Daß die Kinder, ſo bald ſie nur auf die Welt gekommen, von den Prieſtern gewaſchen werden, welche ihnen in die rechte Hand, ein kleines Schwërdtlein, und in die Lincke einen ſubtilen Schild geben, ſo es Knäblein ſind. Den Mägdlein wird dabey etwas, ſo zum ſpinnen und nehen gehöret / in die Händlein gewickelt, und ſolches geſchiehet für ihrem Abgott 4. Tage nach einander.

§. XII. Sed relictis moribus tum antiquorum tum Gentilium, ad noſtra jam properamus tempora, inquirendo : *Quo hodie tempore baptizari liceat ?* Et Reſp. diſtinguendo inter adultos & infantes. Adultis informationis ergo, tempus quoddam indultum. *c. quoniam. diſt. 4.* Antiqua enim Eccleſia circa illos, qui primo Chriſtiani fieri cupiebant, certa temporum intervalla obſervabant, quæ prius & quidem per certos Exercitationum actus decurrere oportebat, adeoque diſtinguebat Catechismum a Baptismo, qui actus diverſo tempore in Eccleſia fiebant. Catechismus, ſeu actus informationis, quo imbuebantur Gentiles, vel Infideles, præcedebat Baptismum, & ita informandi dice-

ban-

bantur Catechumeni, i.e. nondum perfecti, ſed tantum inchoati Chriſtiani, quaſi nondum baptizati, & Eccleſiæ inſiti. Erant autem Catechumeni in Vet. Eccleſia trium generum: Alii vocabantur *Audientes*, qui ad auditionem verbi in templis admittebantur, habita tamen Concione ſtatim exibant. Alii vocabantur *Competentes*, qui in fide jam inſtructi baptismum ſibi conferri humillime petebant, hique baptismi erant Candidati. Cum vero hæc baptismi petitio Dominica Palmarum fieret, eadem Dominica Competentium vocabatur. Alii denique erant *Electi*, qui peractis Scrutiniis in Examine Catechetico probe conſtiterant, dignique Baptismi habiti, in ipſo Feſto Paſchæ ad ſuſcipiendum Baptismum, ex competentibus erant delecti. Conf. HILDEBRAND. *de Dieb. Feſtis p. m. 67. §. 1.* Item *Tract. de Vet. Eccleſ. Arte bene moriendi. c. 3. §. 15.* Hisve Catechumenis de *Jure Novell.* biennium præfixum in NOV. *144. c. 2.* STEPHAN. *ad d. Nov.* Flaminibus triennium conceſſum, ſec. *Concil. Elib. c. 4.* Judæis menſes VIII. *c. 93. de Conſecr. diſt. 4.* & quidem ex hac cauſa, quod Judæi communiter ad vomitum redeant. HILDEBRAND. *Hiſtor. Concil. p. m. 142.* Gentiles tamen in agone conſtituti, ſi deſiderent Baptismum, hunc accipiunt, etſi non Catechumeni, juxta *Concil. Laodic. c. 47. Arelat. 1. c. 6. Carthag. III. c. 34. diſt. 4. de Conſecr.* Poſtquam vero & parvuli recens nati ad ſacrum fontem admiſſi ſunt, uno eodemque actu conjungi cœperunt, & Catechismi & Baptismi ſolennia, quæ antea diſtincta erant. NOV. *cit. in f.* remanente formula Exorcisſmi, qui ex Catechismo, non ex baptismo prodiit. STEPHAN. *l. c.*

§. XIII. Tenebantur autem olim Catechumeni Feria quinta Hebdomadis magnæ (den grünen Donnerſtag) diabolo renunciare, quod in Concilio Laodiceno, hab. A. C. 346. ſtatutum fuit. HILDEBRAND. *Hiſt. Concil. p. m. 76.* Baptismus quoque olim non niſi Sabbatho ſancto Paſchæ & Pentecoſtes celebrabatur. *c. 11. de Conſecr. diſt. 4. c. 22. de Conſecr. diſt. 3.* qua de re S. Leonis

verba

verba a RHEGINONE *c. 264.* citata, hæc ſunt: *Baptizandis in Eccleſia Electis, duo ſunt tempora legitima, paſcha & pentecoſte; ideoque dilectionem veſtram monemus, ne alios dies huic obſervantiæ miſceatis. Licet enim alia quoque Feſta ſint, quibus magna reverentia debetur, principaliter tamen Feſtum Paſchæ & Pentecoſtes cuſtodiendum nobis eſt, ita tamen, ut periclitantibus baptismum quovis alio tempore conferre liceat.* HILDEBRAND. *de Dieb. Feſt. p. m. 78.* §. 7. Baptizandus igitur ſi infirmus eſſet, vel alias in periculo vitæ conſtitutus, tunc quoc. tempore, omiſſis aliis ſolennitatibus baptizari poterat. *c. 15. ſeq. de Conſecr. diſt. 4.* Unde ſequitur, quod in die Epiphaniæ, vel aliis DEO non dicatis diebus Baptismus non ſit celebrandus. *c. 14. de Conſecr. diſt. 4.* RANGERI *D. de Jure Baptismi. Regiom. 1687. hab. c. 1. §. 13.*

§. XIV. Chriſtiani quoque olim ab illo die, quo per Baptismum renati erant, *per octiduum albis veſtibus incedebant,* quibus indicabatur, tum candor mentis, tum, quod anima a peccatis abluta, & ſupra nivem candefacta fuerit. Hinc Paſchæ Hebdomas in Albis, & Dominica in Albis dicta, qua candidam Veſtem in Templo iterum exuebant. Erat enim Hebdomas in Albis, die weiße Woche, Feſtum Paſchæ proximum, quod ab AVGVSTINO *Epiſt. 119. ad Januar.* Feſtum Neophytorum appellatur, exinde, quod in V. E. Neophyti, h. e. recens baptizati in Feſto Paſchatos per integram hanc ſeptimanam candidas veſtes, usque ad diem Sabbathi geſtarunt, qua de re LACTANT. *de Reſurr. Dom. ita:*

Candidus egreditur nitidis Exercitus undis.

Et iterum:

Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et Grege de niveo gaudia paſtor habet.

Hodie tamen vicem candidæ veſtis ſupplet candens mitra, vel pileolum album, quod renati infantis capiti imponitur. HILDEBRAND. *de Natalit. Vet. ſacr. & profan. c. 7. in pr. & in Tr. de Dieb. feſtis. p. m. 80.* Erat enim albedo ſignum lætitiæ, idemque

que album denotabat, quod fauſtum, bonum, atque fortunatum, eique opponebatur nigrum, ſeu atrum, quod idem, ac inauſpicatum. Inde apud Romanos in ferendis ſententiis capitalibus, Calculi albi, abſolutionem, nigri vero condemnationem, ſeu lethale ſupplicium continebant. Ethnici quoque olim Die Natali, ut die lætitiæ, albis veſtibus conſpicui erant. HILDEBRAND. *de Natal. Vet. l. c.*

§. XV. Infantes recens natos, quod concernit, non differendus actus baptismi, ſed properandum cum iis ad ſacrum fontem, ita ut Parentum hic maxima cura eſſe debeat, ut eos DEO, mediante ſacro fonte offerant; inde parentes maxime peccare refert cum aliis AHASV. FRITSCH *in Parente peccante. Concl. 2.* qui actum Baptismi infantulorum in multos dies aut hebdomadas differunt. Add. verba *Henr.* MVLLERI in dem Himmliſchen Liebes-Kuß *P. I. c. 8.* quæ conſcripta habentur in BRVNNEM. *Jur. Eccleſ. Lib. 1. c. 6.* ubi reprehenduntur ii, qui ob convivium baptismale, baptismum differunt. Quare & *Conſt. Elect. Synod. gen. decret. de An. 1624.* ſub pœna prohibitum, Baptismum ultra 2. differre dies, ibi: So ſollen die Leut in Städten, und auf den Dörffern Fleiß anwenden, daß ihre Kinder, ſo bald es müglich, zur H. Tauff gefördert, und nicht daran verhindert, noch über einen oder 2. Tage, bey Straff eines guten Schocks der Kirchen zu erlegen, angehalten. Quæ Baptismi dilatio ſevere quoque apud nos jam prohibita *in Receſſu generali* der Kirchen-*Viſitation Inſterburgi*ſchen Ambtes, *de an. 1638. cap. 2. tit.* von der Heil. Tauffe apud D. GRVBE *in Corp. Conſtit. Prut. Part. I. N. 5. p. 38.* Quovis tamen die Infantes baptizare licet, die etiam non feſto, prout praxis hodierna docet; licet BRVNNEM. *l. c.* §. 4. ſuaſor eſt, ut Baptismus potius Die Dominica inſtituatur, vel etiam iis diebus, quibus Concio habetur, in præſentia auditorum hujus rei in fine Homiliæ admonitorum, & quaſi teſtium rogatorum; vel ſi nulla eo die concio habita, poſt preces pu-

blicas, aut Populo Chriſtiano per peculiarem Campanam ad id opus ſanctum convocato. &c. Inde & *l. c.* §. 5. refert: quod in *Ordin. Eccleſiaſt. Anglicana*, populus jubeatur admoneri, ut tantum Diebus Dominicis aut feſtivis offerre debeat Pueros baptizandos, ut tota Eccleſia teſtari poſſit; eos in numerum Fidelium eſſe receptos, & ut omnes in Eccleſia admoneantur, quid ſinguli ſint polliciti in baptiſmo. Quam Ordinationem Eccleſiaſticam, præter D. QVISTORP. *in piis deſideriis*, refert THEOPH. Groſʒgebauer in der Wächter-Stimme, cit. a BRVNNEM. *l. c.* §. 5. add. EJVSD. *L. 2. c. 1. M. 2.* §. 9. 10.

§. XVI. Sed quæritur jam: *Num Fœtus in utero Matris exiſtens baptizari queat?* Et Reſp. quod non. Equidem pro fœtu militare videtur, quod jam pro nato habeatur, ubi de ejus commodo agitur, ſed quia baptiſmus abſolutam requirit perfectionem, quæ in nondum nato deeſt, inde ejusmodi fœtus neutiquam baptizandus, quod & negat ISIDORVS, a GRATIANO relatus, *in c. 115. de Conſecr. diſt. 4.* ex ea ratione: quod is renaſci dici nequeat, qui nondum eſt natus. Equidem hodierni Moralium apud Pontificios Dd. teſte ZIEGLER. ad LANCELLOT. *L. 2. T. 3.* §. *8. in Not.* volunt, in caſu, quo fœtus edi non poſſit, mortisque periculum immineat, poſſe, imo debere fœtum illum quocunque & quacunque corporis parte conſpicuum baptizari, ita ut ſufficiat, ſi vel manus tantum, aut pes, aut digitus, imo crines etiam & ſecundina, nulla alia ex utero parte apparente, ſalutari lavacro adſpergatur. Sed cum S. Literæ perfectam & abſolutam Nativitatem in eo requirant, qui baptizari debet, vid. DEDEKENN. *Conſil. Theol. V. Lib. 2. de Baptiſm. n. 1. ſeq.* Inde recte ejusmodi in caſu Baptiſmus partui denegatur, egreſſusque totalis infantis expectatur. Imo & ipſi defenſores Sententiæ affirm. conſultius ducunt, ut, ſi deinceps fœtus editus fuerit, de novo ille baptizetur. ZIEGLER. *l. c.* WILDVOGEL *de Jure Embryon. c. 2. th. 38.* MVLLER *de Jur. prægn. c. 4. th. 5.* & *de Juſta*

Ætate.

Ætate. c. 3. §. 4. Ex qua ratione etiam ejusmodi Baptiſmus variarum Eccleſiarum Conſtitutionibus prohibitus. Inde ſancitum *in Conſt. Elect. Sax. Eccl. gen. art. Lib. 6. cap.* Von der Noht-Tauffe, ibi. Demnach die H. Tauffe ein Werck der Wiedergeburt, erfordert die Natur des Sacraments, daß das Kind, ſo das Sacrament der Wieder-Geburt empfahen ſoll, zuvor an die Welt gebohren ſey. RANGER. *l. c. cap. 2. th. 16.* WILDVOGEL. *de Jur. Gemill c. 4. §. 4.* Idem & ſtatutum *in Ordin. Eccl. Vinarienſi c. 12.* von der Noht-Tauffe. *verſ.* Es ſollen aber die Kirchen-Diener die Weh-Mütter aufs fleißigſte vermahnen, erſtlich, daß ſie kein Kind, ſo noch im Mutterleibe, und nicht gantz in die Welt gebohren iſt, nothtauffen. Denn nachdem die H. Tauffe ein Sacrament der Wiedergeburt iſt, erfordert die Natur deſſelben, daß das Kind, welches die Tauffe empfahen ſoll, zuvorn an die Welt gebohren ſey. WILDVOGEL *de Jur. Embryon. c. 2. §. 38.*

§. XVII. Aliud tamen ſtatuendum de abortivis, quoc. tempore editis, modo vitales nati, & formam humanam habeant, cum ii jam natorum gaudeant Jure & Privilegiis. Inde etiam hæc noſtra Sententia a cit. DEDEKENN. *L. 1. S. 3. n. 8.* usque ad 4. menſem extenditur, in verbis: Da wir dann alſo ſchlüſſen, man ſoll keinem lebendigen Menſchen-Kinde die Heil. Tauffe auf Begehren der Chriſtlichen Eltern verweigern/ nun aber iſt in dieſem geſetzten Fall (ubi 4. menſe natus) das Kind, ſo zur Welt gebohren, ein lebendiges Menſchen-Kind, darumb ſoll man ihm die Heil. Tauffe nicht verweigern.

§. XVIII. Circumciſione peracta apud Ebræos ſtatim Nomen imponebatur. GENES. *XXI. 3. 4.* Ratio autem cur illo tempore nomen imponeretur a THEOPHYLACTO potiſſimum affertur hæc: quia per Circumciſionem puer de populo DEI efficiebatur, & vere inter Judæos computabatur, quæ eadem cauſa, cur in Baptiſmo Nomen Chriſtianorum Infantibus aſſignetur. Alia cauſa afferri poteſt, quod ante 8. diem infans nondum ſit in

vita confirmatus, & quodammodo nec homo cenſeatur. Tertiam adfert BEDA *in cap. 2. Lucæ*, quod Abraham eo die, quo mandatum Circumciſionis accepit, ſibi, & uxori nomina mutaverit. Conf. de Impoſitione Nominum apud Ebræos plur. MENOCH. *de Republ. Hebr. L. 3. c. 17. p. 334. ſeq.* Octavus itaque dies apud Judæos erat luſtricus, ſeu, Nominalis, i. e. nomen Infanti imponebatur in præſentia proximorum, & infans circumcidebatur. Vid. GROTIVS *ad Lucam c. 2. v. 21.* Imponebantur autem infantibus Parentum aut Avorum nomina. conf. UBBO EMMIVS *in Diſſ. de Nominibus Familiarum Nobilium, & præ reliquis Celebrium in Friſia.* De hoc die luſtrico ita SERVIVS apud SPENCER. *de LL. Ebræor. p. 35. Solebant antiqui diem octavum Pueri Natalem conſtituere; & eo die ſingulis annis lætum convivium parare. Sicut Judæi, octava die circumcidunt.* Individuum vero Circumciſionis comitem impoſitionem nominis fuiſſe, diſcimus ex *Luca I. 59.* An autem hæc Nominis impoſitio ab Abrahamo originem duxerit, vulgaris equidem affirmativa eſt opinio, quæ tamen rejicitur a SPENCERO *l. c. p. 36.* autumans: Judæos a Gentibus hunc morem imponendi Nomina infantibus, mutuo accepiſſe. Add. *Obſerv. 124.* D. MEINDERS *de Uſu Nom. & Cognom. apud Hebr. in Tom. VI. Miſcell. Lipſ.*

§. XIX. Idem adhuc obſervatur apud modernos Judæos, uti ſupra jam retulimus ex KIRCHNERI Jüdiſchem *Ceremoniel. c. 19.* ubi Circumciſor peracta Circumciſione, manum ſuper circumciſi caput ponens, ex Patre quærit, quod ei imponere velit nomen, quo laudato, mox benedicendo nomen dicit, hocve facto, atque infante domum portato, convivium X. laudatis ſupra viris paratur, quibus multi alii aſſociari ſolent. Tertio poſt Circumciſionem die, domus tota luminibus illuminatur, quia credunt, ex ſciſſura infanti jam nihil periculi imminere, ſeſeque admodum exhibent hilares. Trigeſimo poſt editum partum die, Sabbatho nimirum quarto, mulieres puerperam e thalamo in Templum

plum ducunt, ubi uſitatis ſacris peractis viciſſim domum revertuntur, denuove ſe hilares exhibent. Poſt Cœnam infans in cunas ponitur, & pater Decalogum ſuum ſuper capite infantis ponit, addito cingulo argenteo, & pagina quadam ex quovis Rabbinico Libro, vel ex Talmude, infantisve pater, clara voce, adſtantibus aliis filiis, primum cujuslibet initii Devteronomii verſiculum prælegit, filiive adſtantes cunas extollunt, infantemque nomine impoſito appellitant, quod tribus iteratur vicibus, quo peracto, filiis dictis ſolenne paratur convivium.

§. XX. Apud Romanos quoque dies Infantum *Luſtricus* dicebatur & *Nominalis*, more Græcorum & Hebræorum. Hi vero *octavo* aut *nono die* liberos ſuos recens natos luſtrabant, nominaque ipſis imponebant, indeque Deam quandam venerabantur, quam *Nundinam* vel potius *Nondinam* appellabant. Ita enim MACROB. *Lib. I. Saturn. c. 16. Eſt etiam Nundina Romanorum Dea, a nono die naſcentium nuncupata, qui luſtricus dicitur. Eſt autem dies luſtricus, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt; ſed is maribus nonus, octavus eſt fœminis.* Nomine vero nondum indito, perinde habebantur, ac ſi ſuſcepti minime non fuiſſent, obſervante CVJACIO *obſerv. 19. cap. ult.* Cur vero pueris nono, puellis die octavo nomen impoſitum fuerit? inquirit PLVTARCHVS *in Quæſt. Rom. qu. 102.* adve hanc reſpondet ita: *An cauſa eſt naturalis, quod prius puellis? Fœmina enim citius augetur, ad vigorem pervenit, atque abſolvitur, quam mas? Dies porro poſt ſeptimam ſumunt. Septima enim periculoſa eſt infantibus, cum alias, tum quod ea die umbilicus decidit plerisque, quod antequam ſit, plantæ quam animalis ſimilior eſt infans. Aut maribus & fœminis hunc dierum numerum cenſuerunt congruere, Pythagoricos ſecuti? Hi enim marem imparem numerum vocant, parem fœminam. Impar enim fœcundus eſt, & in compoſitione præſtat pari: diviſisque in unitates ambobus, par inſtar fœminæ vacuum in medio relinquit ſpatium, impar ſemper medium habet plenum. Aut quia omnium numerorum*

novem primus eſt quadratus, natus ex ternario, qui eſt impar & perfectus: octo autem, primus eſt cubus, natus e binario pari? oportet autem marem quadratum eſſe, & agilem, & perfectum: fœminam cubi inſtar ſtabilem, domi affixam, & non facile mobilem. Hoc addendum: Sicut novem quadratus eſt ternarii, octo cubus binarii: ita mares tribus; fœminas duobus uti nominibus. Debebant quoque apud Romanos infantes recens nati, ejusve nomina & cognomina Cenſoribus indicari, qui ea in Tabulas publicas referebant. Inde JUVENALIS *Satyr. 9. v. 84. ſeq.* ita:

- - - - *Libris Actorum ſpargere gaudes*
Argumenta Viri

GVNDLINGIANA *16.* ſtück, von den Röm. *Cenſoribus* §. *15. circa fin. in not.*

§. XXI. Apud Græcos antiquos *dies quintus poſt editum partum* clariſſimus, maximique momenti habebatur. Eo enim die ejus generis mulieres, quæ ut obſtetrices puerperæ ſervitium præſtiterant, laudibus extollebant Junonem Lucinam, Veneremque cœleſtem, manus lavabant ac purgabant, infantem focum circumportabant, cumque eo more uſitato menſam circumcurrebant. Nutricibus infantem commendabant, proximi Matri infantis varia eaque magni momenti tum offerebant munera, appellabaturve dies ille ἀμφιδρομία. *Decimo poſt Nativitatem die*, infanti nato nomen imponebatur, quod quisque vellet. Inde apud Athenienſes decimo die ſacra facta, nomenque infanti impoſitum docent nos *Aves* ARISTOPHANIS, & ad eum SCHOLIASTES, & in *voce Amphidromia* SVIDAS; quamvis alii *ſeptimum* & octavum diem græcis nominalem fuiſſe velint, ut CAVSABON. *ad* CAPITOLIN: *in Marco Anton.* & *Joſ.* SCALIGER, a CVJACIO diſſentientes. Vid. GRAVINA *L. 3. Orig. Jur. c. 52.* Nominis impoſitionem conſpicuum atque pretioſum comitabatur convivium, cui conſanguinei atque amici, lineæ tam paternæ, quam maternæ intererant. Hocce etiam die X. certis Diis ſacrificabatur, appellabaturque hæc ſolenni-

lennitas a quibusdam θύειν δεκάτην ἀπὸ θύειν. Varia tamen de his extant monumenta, quod *Amphidronia*, tum *quintum*, tum *decimum* poſt Nativitatem *diem* ſignificaverit.

§. XXII. Apud Germanos antiquos, quid circa Nominis impoſitionem moris fuerit, verbis MABILLONII *Lib. 2. de Re diplomat. c. 7. §. 7.* exponere juvabit: *Nunc*, inquit, *inquirendum ſupereſt, quo ritu, quove tempore Nomina, vel Cognomina ipſa imponerentur. Et quidem non raro id fiebat olim ante Baptiſmum. Cum enim adultis ſæpius conferretur hoc Sacramentum, nomina ante illud cuique aſſignare oportebat, pro conditione neceſſitudinis humanæ. &c. Poſtea vero cum Eccleſiæ præeuntibus decretis a Carolo M. prohibitum fuiſſet, ne Infantum Baptiſmus ultra annum differretur, vid. leg. 18. pro Saxonibus in cap. I. de partibus Saxoniæ in Monument. Paderborn: Nomina in Baptiſmo impoſita ſunt.* Vid. MEINDERS *obſ. 123. in Miſcell. Lipſ. Tom. VI. de Nominibus, Cognominibus, Germanorum & aliorum.*

§. XXIII. Et hic mos Germanorum adhuc dum ſervatur, ut nomina infanti in Baptiſmo imponantur. Inde hodie Parentes nomina & cognomina baptizandis ad placitum imponunt, eaque parocho indicant, quod & vult *c. 60. de Conſecr. diſt. 4.* quo ea libris baptiſmalibus, den Kirchen- oder Tauffbüchern inſcribere queat, qui mos, uti antiquis in uſu fuit, ita & hodie magis uſitatus eſt. Omnes enim Chriſtiani liberorum ſuorum recens natorum Natales apud Parochum loci profiteantur, neceſſe eſt, ut non ſolum adhibito ſacro lavacro, ipſorum; verum etiam Parentum & Patrinorum nomina Libris Baptiſmalibus inſcribantur, ac quoties de ætate & legitimis natalibus controvertitur, ipſorum auctoritate Lis Controverſiæ commode componatur, cum hi libri maximam habeant fidem, ita ut Inſtrumentis publicis annumerentur. RANGER *cit. Diſſ. c. 2. §. 27.* Inde ſiquis nomen ſuum ignoret, quod vel ex ſimplicitate & ſtupiditate, vel alia ex cauſa juſta, ſi ſcil. parentes mature mortui, facile fieri

M poteſt,

poteſt, non is habendus pro non baptizato, cum hoc reſcire quilibet poſſit vel a Patrinis, vel ex Libris baptiſmalibus.

§. XXIV. *Num vero hodie nomen in Baptiſmate impoſitum mutare liceat*, quæritur? Et Reſp. quod non, ſi fraus aut dolus nomen mutantis ſubſit, ut alii deciperentur, quod prohibitum ſub pœna falſi. *l. 3. D. ad L. Cornel. de Falſ.* e. g. Si quis ſe gerat pro alio, qui tamen non eſt, vel ſi quis inſignia gentis ac Familiæ alienæ gerat, ſeque pro Nobili, &c. venditet, quale falſum pro ratione doli, fuſtigatione aut relegatione punitur. Vid. BRVNNEM. *ad tit. C. de Mutat. Nom.* Alias regulariter hoc licitum, cum initio unicuique licitum fuerit, nomen pro lubitu aſſumere. *l. un. C. de Mutat. Nom.* vel ſi quis id faciat, ad ſe ſuaque defendenda contra vim, vel ob nominis turpitudinem. Vid. plur. MENOCH. *de Arb. Jud. Quæſt. Lib. 2. Caſ. 359.* Et inde legimus Abram mutaſſe Nomen, ſe dicens Abraham, GENES. *XVII. 5.* Et Jacobus dictus Iſrael. *ib. XXXII. 28.* Hoſeas a Moſe Joſua dictus. Num. *XIII. 17.* Saulus dictus Paulus. ACTOR. *XIII. 9.* & Simon a Chriſto Petrus appellatus. JOH. *I. 42.* RANGER. *d. l.* §. *29.*

§. XXV. Calamum promoveamus ad alia adhuc levia, & quidem primum ad *Redemtionem Primogenitorum Ebræorum.* Die enim XXX. Ætatis apud Ebræos primogeniti hominum reſpectu Matrum redimebantur, & quidem 5. Siclis, quos Sacerdos capiebat. NVMER. *XVIII. 16.* quorum ſinguli argentei ſtante Templo ſecundo dicuntur æquaſſe pondus 384. granorum hordeaceorum. Excipiebatur tamen, qui e Tribu Levitica erant, illi enim omnes DEO ſacri erant. RELAND. *P. 3. Antiquit. ſacr. Veter. Hebr. cap. 6. §. 4.* Apud hodiernos tamen Judæos referente KIRCHNERO *l. c. cap. 20.* redemptio primogenituræ *trigeſimo ſexto* poſt editum partum *die*, obſervatur, qui & ceremonias primogenituram redimendi ibidem conſcripſit.

§. XXVI. Properamus ad Puerperarum immunditiem inqui-

quirendo: *Quot diebus puerpera poſt editum partum immunda ſit?* Et Reſp. quod S. Literæ immunditiei fœminæ menſtruæ 7. dies, LEVIT. *XV. 19.* immunditiei, vero maternæ poſt partum maſculum 7. poſt partum fœmineum vero 14. dies præſcripſerint. LEVIT. *XII. 2. ſeq.* Et hisce diebus immunda erat juxta dies Separationis menſtruæ, i. e. ut ita ſeparata & recluſa eſſet, & a domeſticorum conſuetudine ſegregata. Ipſa vero mulier, ſi maſculum peperiſſet, 33. diebus manebat in purificatione ſanguinis ſuæ; ſin fœminam, 66. diebus; ita ut univerſim mulier, quæ maſcula peperiſſet, 40. quæ vero fœminam, 80. diebus immunda eſſet. Quæ immundities tamen 33. & 66. dierum non tam gravis erat, ac primis 7. vel 14. diebus, nec tam rigida ſeparatio, manere tamen cogebatur in ſanguine purificationis ſuæ i. e. continere ſe tenebatur domi, donec ſe perfecte ſanguine & ſordibus partus liberaſſet. MENOCH. *Lib. 3. de Republ. Hebr. c. 18. p. 339.* Diverſitatem vero Legis divinæ, quod ſcil. puerpera ob partum maſculinum 40. ob fœmineum autem 80. diebus univerſim immunda eſſet, juxta HIPPOCRATEM *de Natura pueri*, & VALLESIUM, *de ſacra Philoſophia. c. 18.* MENOCH. *l. c.* rationem in diverſitate vacuationis & purgationis mulieris poſitam credit; quia prima purgatio a partu eſt ſanguinis copioſius fluentis, eo fere modo, quo in menſtruis; hæc in maſculorum partu, ad ſummum 7. durat dies, & breviore etiam tempore ut plurimum abſolvitur. Altera eſt aliorum excrementorum cum modico ſanguine paulatim defluentium; hæc in maſculorum partu, cum longiſſima eſt, 30. eſt dierum, etſi paucioribus etiam diebus finiri poſſit; in fœminarum partu durat utraque diutius. Longiſſimum igitur tempus a Scriptura Puerperæ aſſignatum deprehendimus. Hodiernos ad mores, quod attinet, ab HIPPOCRATE, ejusve ſequacibus purgationi puerperii conſtituuntur duo ſupra 40. dies ex fœmina, 30. vero ex maſculo, qui terminus ſane eſt longiſſimus, & perfectiſſimus, inde ea purgatio, quæ 25. aut

20. diebus tantummodo perdurat, licet non ſit perfecta, tamen periculo omni vacat, in qua ſententia & ipſe eſt HIPPOCRATES, juxta ZACCH. *in Quæſt. Med. Legal. L. 1. T. 4. Qu. 4. n. 56. ſeq.* De Coromandelenſibus quoque refert WITSIVS *in Ægyptiacis, L. 2. c. 16. §. 13.* puerperas & pueros a partu recentes immundos eſſe, hancve immunditiem aquis ablui.

§. XXVII. Quæritur inde: *Num Maritus ab Uxore puerpera Debitum conjugale exigere poſſit?* Et Reſp. quamvis ſupra *cap. I. §. ult.* concubitum cum vicina partui non periculoſum, atque ita non prohibendum exiſtimaverimus: magna tamen hic ſubeſt differentia, inter gravidam & puerperam, cum pericula, quæ prægnanti ex coitu imminent, quoad partum in puerpera ceſſent; nihilominus periculum hic imminet infectionis & Sanitatis ipſis coëuntibus, cum mulier nullatenus puerperiis fluentibus, concipere poſſit, & licet conciperet, multo majus tamen periculum tum monſtruoſitatis, tum infectionis proli inde immineret: Nam omne inutile atque nocivum, quot tum Mater tum partus, tempore conceptionis & graviditatis non acceptaverunt, purgatur intra 15. vel 20. poſt editum partum dies. Et hinc ſi maritus ante hocce tempus, amori nimis indulgeat, uxorem vitæ exponit periculo, aut conceptio infelix evadit, ſi mox poſt editum partum, de novo concipiat. Omnes enim tunc ſordes, quæ per loca illa effluxum ſuum habere tenentur, in corpore remanent, & tum matrem, tum partum futurum inficiunt. Melius igitur ſibi & proli in futurum conjuges conſulunt, abſtinendo a coitu tempore puerperii. Uti enim tempore menſtrui concumbere conjugibus periculoſum, niſi eo ceſſante, ita & durante puerperio, per totum tempus abſtinendum a Venere, quo periculum imminet, quod ad ſummum per 30. dies in partu fœminæ, in maſculino vero partu, per 20. imminet. Huc reſpexit GLOSSA des Sachſenſpiegels *ad Lib. 3. Art. 27. fol. 345. b. in f.* in verbis: Wiſſe auch ferner, daß ſo bald ein Frau empfangen hat, ſo hat ſie ihre Blume (*men-*

ſtruum)

ſtruum) nicht mehr, biß an die Zeit, daß ſie gebieret. Wann ſie darnach gebieret, ſo beſtehet ſie es wieder gantze vier Wochen über oder mehr. Und darumb ſagt der *Philoſophus:* Niſi vicioſe corruptis. Dieſes iſt die vornembſte Urſach, darumb die Weiber in den Sechswochen liegen. Dieſelbige Zeit über ſoll niemandt mit ihnen zu ſchaffen haben/ dann ſie werden ſonſt dadurch alſo verſtopfet, daß ſie keine Kinder mehr haben mögen. ꝛc. Sed nonne per longius tempus abſtinendum a coitu, cum LEVIT. *XII. 2. ſeq.* puerpera, quæ maſculum peperiſſet, per 33. quæ fœmellam, per 66. dies immunda eſſet, ita ut hocce tempus in S. Literis præſcriptum, obſervandum eſſet? Et Reſp. quod non, quia hocce præceptum Chriſtianos amplius non ſtringit, iique ſaltim a coitu hoc tempore abſtineant, ob imminens periculum, quod hodie 20. die poſt puerperium ceſſat, ita ut vix fœminis enixis, ad 30. diem aliquid notatu dignum expurgetur. ZACCH. *Quæſt. Med. Leg. L. 7. T. 3. Qu. 3. n. 13. 14.* VENETTE von Erzeugung der Menſchen. *P. 2. c. 3. ſect. 5. p. m. 147.* Nigrorum tamen Uxores, Regni Africani Zenega, non credimus hosce obſervaturas eſſe dies, cum de iis DAPPER *in deſcr. Africæ p. 355.* referat, quod mox poſt editum partum uſitatis invigilent negotiis.

§. XXVIII. Moris eſt, ut hodie Puerperæ, finitis 5. vel 6. Puerperii ſeptimanis, vel ſolæ, vel una cum infante in Templo ſe ſiſtant, & a Miniſtro Eccleſiæ benedictionem accipiant. Num vero ritus ille probandus? diſquirit BRVNNEMAN. *in Jure Eccleſiaſt. L. 2. c. 1. M. 2. §. 14.* Et Reſp. quod ſic, cum ut Adiaphorum merito retineatur, modo omnis Superſtitio abſit, cum ſolennis & publica ſit gratiarum actio DEO pro vita matris & infantis facta, & quaſi a Matre præſente nomine infantis voti in baptismo facti repetitio. Inde, ubi hic mos eſt introductus, & ſalva conſcientia retinetur, ubi tamen non receptus, introducendus minime erit. Injungit tamen ejusmodi devotionem JVS CANON. *in c. un. X. de purificat. poſt partum* ſecundum quod uxor poſt partum ſtatim ingredi poteſt eccleſiam, non

obſervatis diebus abſtinentiæ Lege Moſaica præſcriptis. Expreſſe tamen hæcce Ingreſſio in templum, una cum oblatione quadam, & gratiarum actione e ſuggeſtu, puerperis injungitur in der Kercken-Ordeninge im Lande tho Pamern, *Part. 2. tit.* van der Döpe. *p. m. 46. circa fin.* ubi ſequentia habentur verba: Wenn de Kindelbedderinnen na Söß Weken thor Kerken gan, wowol up de Dagetydt by uns nicht ſo genouwe kan gedrungen werden; ſchölen ſe upt Altar ere Offer geven edder ſchicken, unde ſchal de Moder des Kindes van dem Predigſtöle laten eine Danckſegginge doen/ dat ſe Godt mit Früchten des Lyves geſegnet, unde wedder tho erer Geſundheit gebracht heſſt.

§. XXIX. Ultimum quod hic proponere adhuc animus eſt, *Lactationem prolis* concernit. Cum enim juxta CICERONEM, natura nobis nihil jucundius, nihil carius, nihil dignius eſſe voluerit, in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiaque conſumetur, ſollicitudine paterna erga partum in hunc orbem editum, inde proximum quidem eſt, ut mater uberibus ſuis infantem alat. Ideo enim natura ei binas mammas tribuit; nec permittere debet, ut nutricationis officium, niſi in caſu infirmitatis, demandetur cuidam vetulæ, ne cum lacte illo exſucco mores illius, plerumque in deterius vergentes, infans imbibat. Conf. *Ant. le* GRAND. *Curioſ. Rer. abdit. perſcrut. p. m. 25. & 255.* Idque ex ſequ. rationibus diſſuadet PHAVORINVS *apud* A. GELLIVM *Lib. 12. Noct. Att. cap. 1.* quia 1) honeſtum, ut infantis tota ſit mater; quia 2) melius nutritur; quia 3) Matri propterea Mammæ datæ; quia 4) a nutrimento multum natura infantis dependet; quia 5) Mater alias vinculum inter eos, ſuosve liberos diſrumpit. Addimus Amorem Parentum pro extraneis. Quæ enim Mater recuſabit lactare infantem, quem ex propriis viſceribus eduxit, novemque integris menſibus, plus minusve, in penitiſſimis, abditiſſimis & reconditiſſimis uteri Receſſibus proprio Sanguine aluit, juxta Poëtam conquerentem:

Viſce-

Viſcera ſunt Matris tibi, & Ubera, Flora, Novercæ,
Das Mater vitam, Lacque Noverca negas.

Inde de Germanis ſcribit TACITVS *cap. 20. de Morib. German: Suâ quemque Mater uberibus alit, nec ancillis ac Nutricibus delegantur.* Inde & Mulieres Germanis dicebantur vollbrüſtig; nutricibus vero aliis carebant, ob adulterii carentiam. Hodie tamen peſſima Conſuetudo invaluit, ut matres nutricationis officium, aliis peſſimæ notæ ancillis, & mulieribus delegent, exiſtimantes, dedecori ſibi eſſe, ſi ipſi hoc munus ſubeant. *Erubeſcit fieri Nutrix, quæ facta eſt mater*, inquit CHRYSOST. *in Pſalm. 50. Homil. 1.* Sed quam graviter ejusmodi Matres peccent, maternæ hocce pietatis debitum negligentes, ex CHEMNITIO *Part. I. Explic. Evangel. p. 254.* refert A. FRITSCH. *in Parente peccante. Concluſ. 3.* Pluribus quoque tum argumentis tum Hiſtoriis ex Antiquitate petitis contrarium Matribus injungit *Ant. de* GVEVARRA *in Horolog. Princip. Lib. 2. cap. 23.* Imo Matres, Mammas ſuas infantibus denegantes, eos quaſi expoſuiſſe dicendum eſt, Vid. STISSER. *in Tr. de liberis Expoſititiis. c. 2. n. 29. ſeq.*

§. XXX. Sed quæritur: *Ad quod usque tempus Matri Onus lactandi prolem incumbat.* Et Reſp. Onus lactandi reſtringitur *in l. 9. C. de P. P.* ad tertium usque Ætatis annum Infantis. Moribus enim Veterum infantes non ante triennium Mamma depellebantur. GOTHOFRED. *ad d. l. 9.* CVJAC. *obſerv. 19. cap. ult. Hartman.* PISTOR. *obſ. 97. n. 3.* Male inde *ex d. l.* Dd. quidam onus alimentandi Matri ad tertium usque ætatis annum imponunt, cum in *d. l.* ſaltim de Alimentis Lactis ſermo ſit. CARPZOV. *P. 4. Conſt. 27. Def. 5. n. 3.* ex quo ſequitur, ſi infans intra triennium ablactatus fuerit, ſtupratorem ad præſtationem alimentorum, aliorumve ſumptuum, ſi quos præter lactationem infans, deſiderat, teneri. HERTLING. *in Diſſ. de Jure Ventris. §. 12.* Moribus tamen Ebræorum Lactationi infantum biennium præfixum erat, referente SELDENO *in Uxore Ebraica. Lib. 3. cap. 10.* cujus verba hic referre juvabit: *Uxor,* inquit, *Ebræa, ſi prolem exciperet, & binas in familia haberet ancillas, officium prolem lactandi, uxor ancillis injungere poterat, ſi vellet. Si vero Gemellos peperiſſet, unicum tantum lactare tenebatur, alteri vero maritus nutricem conducere debebat. Repudiata vero prolem ex ſe paulo ante repudium natam, lactandam obligabatur, ſi infanti aliquantulum ea agnoſceretur. Tunc enim ad evitandum periculum quod agnitæ nutri-*

cis mutatione proli accidere poſſet, accepta a Patre mercede, a Matre lactanda fuit, usque in bimatum, niſi aliter eſſet inter Parentes conventum. Transacta ea ætatula, in Patris Lares revertebatur infans. Gravidæ autem Repudiatæ, cui & usque in bimatum proles lactanda, integrum erat, maſculum usque ad Sexennium, puellam apud ſe perpetuo retinere. Sed alimenda interim utrique proli a patre præſtanda. Si nollet ipſa, transacto biennio apud ſe retinere, pro libitu alterutrius Sexus, prolem ad patrem relegabat, atque eo demortuo in curam publicam ejiciebat. Neque Lectori moleſtum erit, ſi ea hic conſcribamus, quæ de lactanda prole in ALCORANO reperiuntur, *Azoar. 2.* ibi: *Matres lactanto prolem ſuam biennio integro; cui ſcil. lac præbere ipſæ volunt. Patri autem incumbit* (loquitur de uxoribus repudiatis) *alimenta ac veſtes lactationi neceſſaria ſubminiſtrare, ſecundum Status ſui conditionem. Non cogantur ultra facultatem ſuam. Nec Mater ratione prolis ſuæ, nec pater ratione ſuæ, qui & ſuus eſt heres, iniquum quid in hac re ferat. Si vero puerum ablactare viſum fuerit,* (intra biennium ſcil.) *eaque de re conſenſerint, id facere eis non eſt vetitum. Etiamſi vultis prolem veſtram alibi lactari, vobis permittitur. Sed & tum præſtabitis eis, quod pro Status veſtri conditione debetur.* H. l. De Conviviis interim in ablactatione Infantum factis, cum rationibus, vid. MENOCH. *Lib. 6. de Republ. Hebr. c. 4. p. 505.*

§. XXXI. Hodie tamen Lactationi nullum certum præfinitum eſt tempus, cum aliquando tardius, aliquando citius, in caſu neceſſitatis, infantes ablactentur. Si tamen Mater hodie infantem ſuis Mammis alere nequeat; ſed id munus aliis fœminis delegare teneatur, caveat, ne admittatur Nutrix, niſi ſit annorum 25. usque 35. item: ne diu jam lactaverit, hinc optimum tempus illud, ſi admittatur, edito partu, ante 45. vel 60. diem, quia lac ejus tum optimæ eſt notæ, prout monet BONACIOLVS *de Format. Fœtus c. 8.* ubi & alia legi poſſunt, quæ in bona Nutrice requiruntur. Nobis ſufficit, tempora hic quædam Lactationi prolis præfixa, ſaltim notaſſe.

F I N I S.